

ERNESTI H. F. MEYER.

COMMENTARIORUM

DE PLANTIS

AFRICAЕ AUSTRALIORIS

QUAS

PER OCTO ANNOS COLLEGIT

OBSERVATIONIBUSQUE MANUSCRIPTIS

ILLUSTRAVIT

JOANNES FRANCISCUS DREGE

Mo. Bot. Garden,

1837.

VOL. I. FASCIC. I.

LIPSIÆ APUD LEOPOLDUM VOSS

REGIOMONTI APUD HUCHTORYS

MDCCLXXXV

1835

N O T I U S,

Specimina circa plantarum Africæ australis Commentariis nostris recensitarum sub conditionibus sequentibus apud me prostant.

1. Cuilibet arbitrium sit, quot et quasnam plantas emere velit, ita tamen, ut quo minus quis emat, eo plus solvat pro rata parte.

2. Cujusvis Commentariorum fasciculi species singularem plantarum vendendarum collectionem constituent. Hoc fasciculo continentur species et varietates venales.

3. Integram quandam collectionem emari pro centenis plantis solvent, intra menses quatuor primos post editum fasciculum, thaleros Prussicos octo; deinde vero decem. Minus emari, quotam decimam collectionis partem recusant, toties dimidiam thaleram pro centuria addent.

4. Quo ordine emari nomina dederint, eodem plantis mittentur. Quod autem aliarum plantarum specimina plura, aliarum pauciora adsint, ipsorum curatores culpa erit, si non quaecumque elegissent, acciperent. Praeterea priores ejusvis collectionis integrae emtores gratis adspicient additamentum plantarum saepe rarissimarum, quarum specimina vel non tam multa vel non tam bona suppetunt, quae vendarentur.

5. Pro involucriis plantarum mittendarum nihil solvetur.

6. Portoria cuncta, sive literarum sive peculiarium sive plantarum mittendarum, emari praestent.

7. Pecuniae praenumerentur mittanturque vel ad me ipsam, vel Lipsiae ad egregiam bibliopolum Leopoldam Voss.

8. Nummi aurei Silesiaci sumentur pro thaleris quoniamdam duabus partibus tertias, et qui Ducati dicuntur novi, pro thaleris ternis cum parte tertia singula.

9. Literae vocum via haec ad me mittantur, quasso.

Altonae in via Königsstrasse N^o 1. die

MDCCKXXVII.

J. E. Drege.

A n z e i g e.

Getrocknete Exemplare der in unsern Kommentarien enthaltenen südafrikanischen Pflanzen werden von mir unter folgenden Bedingungen verkauft.

1. Es steht einem jeden frei, wie viel und welche Pflanz er kaufen will; doch so, dass diejenigen, welche weniger kaufen verhältnissmässig mehr bezahlen.

2. Die Arten eines jeden besondern Heftes der Kommentarien bilden eine besondere Sammlung künftlicher Pflanzen. In diesem Hefte sind enthalten verkäufliche Arten und Abarten.

3. Wer eine ganze Sammlung kauft, bezahlt während der vier ersten Monate nach der Erscheinung jedes Heftes für die Centurie acht Thaler preussisch Kurant; später aber mehr Thaler. Wer weniger nimmt, gibt für jeden zehnten Theil der Sammlung, welchen er ausschiesst, einen halben Thaler mehr auf Centurie.

4. Die Sendungen werden nach der Ordnung gemacht nach welcher die Bestellungen eingehen. Da aber von einigen Pflanzen mehr, von andern weniger Exemplare vorhanden sind, so haben diejenigen, welche mit der Bestellung zögern, es selbst zuzuschreiben, wenn sie nicht Alles erhalten, was sie erwünscht. Ausserdem bekommen die ersten Käufer jeder vollständigen Sammlung eine unentgeltliche Zugabe solcher Pflanzen von denen nicht so viele oder nicht so gute Exemplare da sind um sie zu Kauf anzubieten.

5. Emballage wird nicht berechnet.

6. Alles Porto für Briefe, Gelder und Pflanzensendungen tragen die Käufer.

7. Gelder werden voraus bezahlt, und entweder an mich selbst oder nach Leipzig an den Buchhändler Herrn Leopold Voss gesandt.

8. Friedrichsdore werden zu fünf und zwei Drittel Thaler, neue Dukaten zu drei und ein Drittel Thaler angenommen.

9. Briefe erbitte ich mir geradezu hierher.

Altona, Königstrasse № 1, den

1837.

J. F. Drège.

Note:

For dates of publication

see Jour. Soc. Bot. Nat. Hist.

L: 102.1937

J. M. Greenman

PRAEFATIO.

Plantas hoc libello enumeratas, pluribusque continuo secuturis enumerandas; siquidem eas excipis, quas cruce praefixa signatas vel ex propria, ut dicunt, suppellectili, vel ex ditissimo horti regii Regiomontani exsiccatarum herbarum thesauro promsi; amicissimus mihi Joannes Franciscus Drège, Altonae natus, ex variis per Africam australiorem itineribus redux attulit, unaque cum adversariis suis mihi recensendas mandavit.

Octo annos in plantis hisce colligendis nunquam otiosus consumsit, easque prae reliquis regiones petiit, quae, quum a trito viarum tenore remotiores accessuve difficiliiores essent, a rerum naturalium studiosis antea vel negligentius curatae vel omnino nec visae nec auditaee erant. Quae itinera, tametsi fusiore narratione perdigna essent, hoc tamen loco, ne librum libro gravare videar, brevi percurrere liceat, ut, quae de locis plantarum natalibus infra agenda sint, melius intelligantur. Quem ad finem quum lineae nonnullae per mappam geographicam ductae omni praestent verbo, donec suam mappam Drègeus publicam fecerit, eam, quaeso, inter legendum ante oculos habeas, quam, optimis haustam fontibus suetaque cum elegantia delineatam, cl. J. Arrow Smith hoc titulo nuper edidit: Cape of Good Hope. By

J. Arrow Smith. This map is with permission copied from the Original M. S. drawing in the Colonial Office, compiled by Mr. Hebert Senr., London. 1834. — Fol. sing. max.

Appulit Drègeus Bonae Spei promontorium anni MDCCCXXVI mense Martio, statimque suburbana non solum, sed integras provincias urbi proprioeres perlustrare coepit, nec non ejusdem anni mense Augusto primo itineri longiori sese commisit. Per tractum illum desertum, quem Magnam Carroam (Groote Karroo) dicunt, pecuariorum colonum provincias adiit, cis et trans montes Nieuweveldbergen et Winterveldbergen porrectas, quae sunt a montibus illis ad austrum versae Koup et Camdeboo, ad septentrionem Nieuweveld, Winterveld et Uitvlugt; ibique per menses octo huc illuc vagans commoratus est. Deinde vero repetita urbe, et domicilio suo paulo post ad oppidum Paarl provinciae Stellenbosch translato, quum hanc tum alias veteres coloniae provincias per biennium iteratis vicibus perquisivit.

Quibus, ne longior sim, missis, ad alterum majus Drègei iter transeo, anni MDCCCXXIX mense Majo aggressum. Quo denuo Magnam Carroam peragravit, nunc autem magis australem, in quam montium Groote Zwartebbergen radices excurrunt. Quos ipsos montes minime neglexisse, sed per varios aditus ingressum austrasse sedulo, vix est, quod moneam. Sic tertio mense ad amnem Zondagrivier eamque pervenit regionem, quam Zwartruggens appellant. Tum cursu itineris ad ejusdem amnis fontes, id est ad septentrionem, inflexo, montes Sneeuwbergen atque Rhinosterbergen conscendit, retroque versus ad regiones inferiores, amne Groote Vischrivier tanquam duce sumto, in Albaniam descendit, provinciam coloniae maxime orientalem nuperiusque Caffris conterminis ereptam. Unde per Uitenhaag, Langekloof et Zwellendam sub magnis illis perplexisque montium jugis, quorum potissimum supra Groote Zwartebbergen diximus, anno fere praeterlapso, domum rediit.

Tertio duriores suscepit provincias, oras coloniae occidentales prae reliquis arenosas et aridas, terramque Hottentottorum Namaquam Minorem, a Majori diremtam Garipo, longissimo australis Africae amne, licet inferne, ubi alii grandescere solent, bibacis alvei torrentisque solis causa, non ita amplo *). Quem denique amnem anni MDCCCXXX mense Septembri, post iter trimestre per regiones cismontanas confectum, tetigit deorsumque sursumque prosecutus est, quin etiam majora molitus vado transiit. Jam enim Majoris Namaquae montes oceano vicini, nec tamen quinque pedum millibus, ut aestimabantur, inferiores, quos Europaeorum nemo unquam intraverat, in conspectu erant, oculosque animosque alliciebant. Frustra tamen. Nam quo anni tempore alibi, nec non ad ipsum Garipum superiorem vernaes imbres viatorem recreare solent; eodem circa ipsius ostia per totum mensem, quem Drègeus futurarum pluviarum expectatione ibi retinebatur, ne gutta quidem de coelo male sereno cecidit: desierunt pabula, languerunt boves, de tergo fontes cessarunt, nulla extremae calamitatis effugiendae via patuit, nisi receptus celerrimus, per quem biduo tamen aqua prorsus carendum erat. Redibatur per montes Kamiesbergen, Cederbergen, et regionem altiorem Onderbokkeveld, quae inter utrosque est, plantarum plurimis jam defloratis; ventum erat per demissiora, florendi tempore

*) Drègeus memoriter: propter ostia, inquit, verum annis alveum tria circiter passuum millia latum esse; aquas exundantes, quas tamen ipsum non vidisse, duo de viginti; sed tempore sicco aquam in medio alveo superstitem vix ultra viginti passus latam tresque pedes profundam esse. Quibus addamus, quae cl. Burchell (Travels vol. I pag. 319) de eodem retulit amne, quem circiter centum et viginti milliaria, ut dicunt, geographica ab ostiis trajecit: anni tempore sicco aquam circiter DXXV passus (350 yards), exundantem vero pro locorum varietatibus inter DCLX et bis mille DCXXX passus ($\frac{1}{4}$ — 1 mile) latam esse. Itaque non mira, etsi minus vera, quae sibi relata cl. Lichtenstein in Itin. vol. II pag. 69 refert, superbas Garipi undas per arenam dispersas soleque exhaustas, omnino non pervenire ad oceanum, maximumque Africae australioris amnem ostio carere.

hic vix incepto: et nihilo minus expeditionis ita interruptae et intempestivae fructus, sive copiam spectes sive novitatem, inter uberrimos erant, nec nisi iis postremi itineris majoris, quod jam narrabo, superabantur.

Medicus Anglicus, doctor Smith, Caffriam cognoscere viamque terrestrem ad sinum Delagoensem per populares suos Cowie et Green apertum relegere cupidus, Drègeo, ut eum comitaretur, facile persuasit. Is igitur, anni MDCCCXXXI mense Julio per oras coloniae australes in Albaniam profectus, socioque haud procul a finibus sibi adjuncto, Caffriam inferiorem intravit. Ad dextram oceano ad laevam praeruptis montium jugis coarctata, in longitudinem tendit haec terra, crebris intercepta fluminibus, feracissima graminis, gentibusque tunc quidem temporis admodum mansuetis habitata. Itaque praeter flumina saepe nimis accreta nil peregrinatores morabatur, nil de proposito desistere cogebat, donec ad fluvium Omgeni, qui paulo ultra Port Natal effunditur, perventum erat; ex quo alter negotiis revocatus alterum secum traxit invitum. Quod eo magis dolendum est, quo largiorem messem stirpium his terris minime expectatarum Caffria praebuit; quarum alias sed paucissimas ipsius quidem coloniae, alias Mascarenharum insularum, alias Indiae orientalis, alias Aegypti prolem putares. Transiit autem Drègeus coloniae fines mense primo anni MDCCCXXXII, sextoque redux eosdem revisit.

Verum cupiditate novarum rerum indagandarum hoc ipso itinere adaucta potius quam satiata, post moram brevem nec laboribus vacuum in Albania et Uitenhaag sibi concessam, ad septentrionem iterum profectus est, superatisque montibus Tschumibergen, elatiores Caffrorum Tambukinorum terras circa cornua fluvii Key sitas, montesque, quibus ad tres coeli plagas vallantur, pervagatus est. Nec his contentus, trajecto monte Stormberg, usque ad Nugaripum, alterum Garipi brachium, penetravit. Jam vero adeuntis ad dextram novi imminent montes, Witbergen vocati, quibus sub anno vertente scansis, comperit tan-

dem, totius Africae australis, quoad Europaeis innotuisset, cellissimos esse, quippe qui octo pedum millia excederent. Ex qua summa viarum suarum meta reversus, per coloniae provinciam Nieuve Hantom Nugaripo medio conterminam ad flumen Zeekoe-rivier venit; quod retrorsum secutus, montes, unde oritur, Sneeuwbergen Martio mense incipiente repetiit, eorumque ab averso clivo per vallem amnis Zondagrivier descendit ad Uitenhaag, et porro sueta via Junio mense anni MDCCCXXXIII domum rediit.

Minorum itinerum, quibus et postea usque ad conscensam navem, qua patriam rediret, se non abstinuit, unicum commemoro, factum ad orae occidentalis amnem Olifantrivier montesque propinquos, idque prosperiore quam antea tempestate. Quae de causa angusto temporis locorumque spatio haud exiguam novarum stirpium copiam referre contigit.

Tum denique Drègeus, anno MDCCCXXXIV incepto, nec octavo post adventum in Africam penitus completo, velis in altum datis, hanc terram rudem quidem aliarumque illecebris expertem, sed haud ingratham in se reliquit, spoliis onustus vere opimis octo, ut existimo, plantarum millium, quarum maxima pars novas species, nec adeo parva nova genera constituunt; speciminum autem exsiccatorum, ni plurimum, bis centenorum millium, mox dividendorum. De quo negotio a me alieno, quae scire emtorum interest, scheda libello annexa docebit. Id autem praeterire nolim, quam mirae sint tantae plantarum divitiae ex tam angusto terrarum angulo haustae; adhuc magis mirae, quum cogitaveris, quot insuper plantae unius hominis vel oculatissimi visum fugissent. Thunbergius quondam ex eadem terra quatuor ferme plantarum millia attulerat, quarum vix dimidiam partem, ni fallor, inter Drègeanas reperi. Aliae Burchellio, aliae Zeyhero, aliae Eckloni, aliae aliis viris de hac flora inexhausta optime meritis occurrerunt; quas cunctas duodecim millium numerum adaequare, vix dubitaverim. Qua stupenda

diversarum stirpium multitudine australis Africa omnes, quas novimus, omnium zonarum terras facile vincit *).

Jam vero nescio, utro Drègeus melius de re herbaria meruerit, tantane rariorum stirpium suggestarum varietate et abundantia, an accuratis suis observationibus inprimis ad locos plantarum natales facientibus, quibus, praeter ipsam rem herbariam, geographica etiam terrarum peragratarum cognitio egregie amplificatur. Easdem stirpes non semel, sed quoties reperit, toties, adscriptis locorum proprietatibus, secum tulit. Regiones quum fecundiores tum steriliores variis anni temporibus pari permeavit passu, parique et assiduitate et industria utrarumque prolem collegit. Quibus, ut apparet, judicium de formis plantarum sive stabilibus sive versatilibus, quod, nisi vivas diutius observare occasio data sit, semper nonnihil lubricum est, haud mediocriter adjuvatur. Tum quo venerit cunq̄ue, et fontium calorem et soli supra maris aequor altitudinem definire studuit. Qua perpetua metiendi exercitatione assuefactus, tantam oculis quasi metiendi peritiam sibi comparavit, quanta ad cujusque plantarum stationis eminentiam numeris, ut ajunt, rotundis consignandam sufficeret. Ne vero nimis arbitrarii videantur hi numeri per totum librum locis plantarum natalibus adscripti, simul et eorum ne frustretur expectatio, qui mensuras accuratiores desiderent. ipsas observationes et barometricas et thermometricas infra addamus. Maximopere vero Drègeus laboravit in eo, ut locos plantarum natales in terra adeo vasta extricatu difficiles, partim etiam nec libris nec mappis geographicis proditos, ita exprimeret, ut cujusvis situs illico perciperetur. Quem ad finem totius terrarum plagae ab ipso pervagatae divisionem magis naturalem exarare conatus est, ad cujus partes numeri literaeque locis natalibus in libro nostro adjecti spectant, quorumque significationibus memoria susceptis, primo intuitu ipsis quasi

*) Cf. quae de eadem re jam duodecim annis ante censuit cl. Schouw in Pflanzengraphie pag. 397.

oculis cernitur, quoad cujusvis stirpis area pateat, quomodo generum species, ordinum genera, distributa sint, quae denique regiones quibuscunque plantarum formis egeant, quaeve abundant. Mappa geographica ad Smithianae exemplar a Drègeo delineata, nec paucis purgata mendis, colorum varietate hanc divisionem illustrabit: sed donec eo perducta erit, ut manumitti possit, partes singulas, praefationis ad calcem, verbis ita circumscribere enitar, ut earum fines facili negotio, dum placeat, in Smithii mappam transferre queas.

Ad meas venio curas, de quibus brevior sim. Commentarios de plantis Drègeanis, nec Africae australis floram scribere coepi, quippe qui hanc tum demum scribendam esse arbitror, quum et Burchellianas plantas cl. Candollius, et suas cl. Zeyherus et Ecklon, et Drègeanas equidem ediderimus omnes, nec tum quidem nisi herbariis et Thuubergiano et regio Berolinensi diligenter consultis. Sed commentariorum est, satis nota brevius percurrere, ignota accurratius. Itaque, ut incepti, pergam alienis uti fundamentis, ante omnia egregio Candollii prodromo, et ex quo me deseret hic, optima cujusque plantarum ordinis recognitione.

Erunt, qui me species diminuisse, genera ordinesque multiplicasse nimium arguant: nec tamen defuturos spero alios, qui vel hoc vel illud vel etiam utrumque probent. Disputatio vero de re tam ardua atque perplexa non hujus loci esse puto.

Nomina nova Graecitati qua potui diligentia accommodare studui; prius data, quae certa visa essent, religiose servavi, quae minus, alia admisi alia rejeci, nec tamen libita secutus, sed probabilia, quorum rationes universales dari nequeunt. Id vero tacere nolim, plerasque Thunbergii descriptiones longe meliores esse, quam vulgo aestimantur. Fructificationis partes saepius negligere, verum est, sed eo melius habitum referre solent; et ubi nimis longe a natura aberrare videntur, malle

credere, diversas diversorum plantas commutatas, quam a Thunbergio tam graviter peccatum esse. Nonnunquam quidem stirpium similitudine deceptum, aliam in diagnosi aliam in descriptione scribenda ante oculos habuisse non negam; sed rarius ejusmodi errores irrepsisse existimo. Sed finem facio, ne ultra modum lectores morari videar.

Regiomonti Calend. Decembr. MDCCCXXXV.

Ernestus Meyer.

AFRICAE AUSTRALIS

DIVISIO

ad illustrandos locos plantarum naturales mappamque geographico-botanicam operi addendam.

Lichtensteinii Ritterique egregiis operibus notum est, Africam australem, alternantibus montium jugis atque planitiibus, ita constitutam esse, ut, qui a Bonae Spei promontorio profecti interiora petant, per tres quasi gradus ad terram intimam eamque maxime elatam ascendant. Quapropter aptissime ad naturam putares dividi in terram superiorem intermediam et inferiorem. Quum vero inferior non solum latissime pateat, sed etiam ad tres caeli plagas projecta triplicem ferat naturam, ratiis Drègeo visa est quinquepartita totius divisio. Cujus partes nunc pedetentim lustraturi, brevitatis causa et numeris Arabicis et siglis sequentibus geographorum utamur. Sit igitur:

S. septentrio,

A. auster,

Ort. solis ortus,

Occ. solis occasus,

Ort. S. solstitialis solis ortus, qui, quum in hemisphaerio altero versemur, inter ortum et septentrionem est,

Ort. B. brumalis solis ortus, qui inter ortum et austrum,

Occ. S. solstitialis solis occasus, qui inter occasum et septentrionem,

Occ. B. brumalis solis occasus, qui inter occasum et austrum.

I. Terra superior.

Sita est circiter inter 30—32° latit. austr. et 22—28° longit. orient., si a Greenwich proficiscimur, ut semper faciemus. Ad S. quousque pateat, nec satis scimus, nec nostra refert. Drègeus Nugaripum non transiit, quem igitur pro termino habere liceat. Ad A. perpetuis montium jugis limitatur, qui dicuntur, ut ab Occ. incipiamus, Roggeveldbergen, Nieuweveldbergen, Winterveldbergen, Sneeuwbergen iisque pro parte antepositi Rhinosterbergen, tum Zuurebergen, quos, ne cum aliis ejusdem nominis confundantur, quum ad provinciam Nieuwe Hantom pertineant, Novihantomenses appellemus, et Stormbergen, qui demum cum Witbergen confluunt; quos Drègeus praeter Roggeveldbergen et Zuurebergen omnes pedibus obiit. Ne vero regiones naturae vinculis junctae artificiali distrahantur divisione, neglectis aliquando aquarum divortiis, primae parti addatur necesse est regio illa elatior inter montes Stormbergen et Tschumibergen (Chumieberg apud Arr. Smith), quam Caffri Tambukini tenent, licet fontes ejus per fluvium Key versus Occ. B. ad mare vehantur. In longitudinem iterum longius tota haec terra superior permittitur, quam Drègeus venit; quare perinde statuamus, ac si ad Ort. montes Witbergen, ad Occ. regionem Nieuweveld haud excederet.

In universum pedum 3000—8000 supra mare eminent, quod non impedit, quo minus et terrae mediae circumjacentis montes singuli ultra pedum 3000 in altum prosiliant. Celsissima simul et mari prior est pars orientalis, occidentalis planior est, et ad S. et Occ. S. paulisper sensim declinat versus Garipum amnem, qui omnes hujus regionis fluvios excipit. Julio Augusto Septembri mensibus nix continua montes, intermissa et colles et pro parte planities ipsas, licet rarius, obducere solet. Aestate imbres et frequentes et copiosissimi contingunt. Florendi tempus mense Novembri post nivem solutam incipit, et paulo longius quam in subjacentibus durat.

Membra hujus terrae quatuor distinguere sufficit, regionem orientalem cis et trans montes Stormbergen, occidentalem, quae

abit in Roggeveld, mediamque duplicem, alteram septentrionalem seu Nieuwe Hantom, alteram australem, montibus Rhinosterbergen et Sneeuwbergen impletam.

I, a. Regio orientalis.

Huc pertinent inprimis montes Witbergen, a Drégeo pervagatic irciter inter 30—31^o latit. austr. et 27—28^o longit. orient., licet ad Ort. seu potius ad Ort. S. multo longius procurrere et magis magisque increscere videantur. Deinde huc pertinet cli-
vosa planities eaque maxime elata circa fluvium Sternbergspruit (Stormbergrivier apud Arrow Smith), a septentrionali montium Stormbergen latere decurrentem ad Nugaripum. Tum ipsi montes Stormbergen, ad Occ. continuati in montes Zuurebergen, ad Ort. S. cum montibus Witbergen cohaerentes, ita tamen ut diu hos illi de latere comitentur, donec circa fontes fluvii Kraai, circuli prope quadrante ad Nugaripum decurrentis, in unum coeant jugum. Tum Tambukiae (Tambukiland) cli-
vosa planities ab altera montium Stormbergen devexitate incipiens, ad Occ. montibus Bamboosbergen, ad A. Tschumibergen occlusa, nec nisi ad Ort. patens, unde flumina Klaas-Smitsrivier, Zwartkey, Klipplaatrivier, alia in Keyrivier confluentia delabuntur. Ex qua planitie montes singuli Wildschutberg, Lostafelberg et gemini Twee Tafelberge surgunt. Postremo propter similem aëris solique naturam ab hac regione divelli nequit mons Katberg, montium Tschumibergen quasi promontorium maxime australe, in terram inferiorem nec in mare prominens.

Mons Winterberg, celsissimum forsan montium Tschumibergen cacumen, pedum circiter 6000, Lostafelberg 6200, Stormberg 6000, Witbergen inter 7500—8000 alti sunt supra mare: surgunt autem ex fundo jam satis elato. Nugaripus ipse, ubi montes Witbergen derelinquit, adhuc 4300 ped. altitudinem tenet. Tambukia inter 3000—4000 ped. altitudine variat. Tota regio largius rigata, graminum inprimis Andropogonearum ferax, arborum inops est, Acaciarum fere tota impatiens; quippe quae passim quidem altitudinem pedum 3000—4000 attingunt, sed non

nisi vallibus benignioribus defensae. Illarum loco Salices hujus regionis flumina praecingunt. Sylvae, in omni Africa australiori rarissimae, aversisque montium clivis fere solis concessae, in hac regione vix ullae sunt, excepto monte Katberg, cujus radices jam in terram inferiorem excurrunt, cujusque frons nemore, quo nullum stat altius, coronatur.

I, b. Regio media septentrionalis.

Prope fluvium Sternbergspruit priori regioni ab Occ. contermina est. Ad S. Nugaripo, ad A. montibus Zuurebergen atque Rhinosterbergen limitata, versus Occ. patet usque ad flumen Zeekoerivier, quod ultra Drègeus ab hoc latere non pervenit. Medio montibus Zuurebergen, septentrionem versus prosilientibus, coarctata, relaxatur utrinque, praecipue ad Occ., multo tamen minus priore regione. Maximam partem provincia implet Nieuwe Hantom, ita tamen, ut tota regione hic paulo amplior sit, ibi paulo angustior. Antecedente planior est, fundo circiter 4000 ped. alto, montibus passim ad 6000 elatis, minusque irrigua: hinc calor jam minus moderatus.

I, c. Regio media australis.

Montes complectitur aridos atque steriles Rhinosterbergen et Sneeuwbergen, nodi ad instar coeuntes, utrosque incipientes a fundo jam circiter pedum 3500 alto, illos vero minus, hos magis elatos et praeter Witbergen totius Africae australioris celsissimos, quorum fastigium, apud geographos Compasberg, apud colonos Spitzkop vocatum, ad pedum 7200 effertur.

I, d. Regio occidentalis.

Planities pro parte majore sicca et carroidea *), 3000—4000 pedum alta, nec ullibi in montes ultra 5000 pedum evecta. Hyeme

*) De indole regionum, quae in Africa australi Karroo dicuntur, imprimis cf. Lichtenstein's Reise etc. vol. I pag. 195. sqq.

rarissime ningit *), aestate pluit frequentius. Inter gramina Andropogones rarescere incipiunt, quod ubique fit, ubi regio magis irrigua sensim in carroideam inclinat. Superior fluvii Buffelrivier cursus a Sneeuwbergen dirimit Uitvlugt, licet haec illius radices trans fluvium excurrentes in se suscipiat. Huic ad Occ. adjacet Winterveld (nec vice versa hoc illi, ut perperam legitur in mappa Smithiana), huic porro Nieuweveld, huic denique Roggeveld, a Drègeo neglectum.

II. Terra media.

Ea est, quam supra alterum diximus gradum, per quem ex terra inferiore australi ad superiorem, de qua actum est, ascenditur. Sed cave, ne nimis porrectam putes. In omni Africa orientali plane desideratur. Hic enim inde a monte Katberg terrae superioris montes in terram inferiorem desinunt tam praecipites, ne ullam terram intermediam esse sinant. Sed montis Katberg ad laevam, ubi terra elatior spatioso sinu recedit subito, media incipit, rectaque per septem longitudinis gradus ad Occ. tendit; tum resupina ad S., quousque nescio, abit **). Itaque fines sunt ad Ort. montes Bamboosbergen collesque interjecti his et montibus Zuurebergen Uitenhaagensibus (non confundendis cum Novihantomensibus, qui ad terram superiorem pertinent); ad A. montes Elandsberg, Rietberg, tum vero longissimum montium jugum Groote Zwartebergen, quo Magna Carroa a provinciis maritimis George et Zwellendam disjungitur; ad Occ. montes Roodezandbergen Cederbergen alique saepius oblique interrupti; ad S. denique montes Zuurebergen altiores

*) Paulo magis ad Occ. in regionibus Middel et Onder Roggeveld, quas Drègeus non adiit, nivem denuo tam frequentem esse, ut coloni hyeme regiones demissiores quaerant, auctor est cl. Lichtenstein l. c. pag. 157 et 167.

***) In mappa Smithiana montium jugo inter montes Hantomborgen et Camiesbergen expanso distingui videtur a terra Bosjemannorum. Sed ne colles sint vereor.

illi, quos Novihantomenses diximus, et cohaerentes cum iis Sneeuwbergen, Winterveldbergen, postremo Roggeveldbergen, qui, una cum tota hac terra media reclinati ad S., in regiones Drègio ignotas, eaque de causa hic non ulterius prosequendas permittuntur.

In universum haec terra, exceptis montibus eam vallantibus passimque incurrentibus, rarius seorsim prosilientibus, planior est, 1500—2500 ped. supra mare prominens. Montes ipsi vix ultra 5000 ped. surgunt. Aquarum sive coelestium sive terrestrium summa penuria est. Hyeme rarissime pluit, aliquando vere, id est Septembri mense vel Octobri; aestate paulo minus raro, nec tamen quoquo anno ubique. Quo fit, ut florendi tempus a Novembri ad Februarium mensem variet, diversis regionibus contingat diversum, duretque brevissime.

Regiones cum Drègeo distinguimus sex, et potiora spectantes primam appellamus ab amne Vischrivier eam percurrente, alteram suo nomine Camdeboo, tertiam a collibus, quibus referta est, Zwartruggens, quartam suo nomine, etsi forsan minus late intelligi soleat, Koup, quintam a jugo montium cui adjacet partim, partim injacet, Groote Zwartebergen, ultimam nomine suo Carroam Magnam; quibus in posterum aliae regiones a Drègeo non visae addendae sunt.

II, a. Regio amnis Vischrivier.

Ad utrumque amnis latus patet, usque quo ad inferiora delabitur per colles Klein Bruintjeshoogte dictos quos jam terrae inferiori adscribamus *). Hic ad A. terminus. Ad Ort. et ad S. cingitur montibus Tschumibergen, Bamboosbergen, Zuurebergen Novihantomensibus, Rhinosterbergen et Sneeuwbergen, sinu magno, ut diximus, in terram superiorem intruso. Ad Occ. absque certo limine haud procul ab amne Zondagrivier a regionibus Camdeboo et Zwartruggens excipitur, ita tamen ut ipsum amnen

*) In mappa Smithiana desiderantur; jacent autem ad Occ. B. a monte Boschberg, inter Klein Vischrivier et Zondagrivier.

non tangat. Planior passim et carroidea est, sed pro maiore parte clivosa atque graminosa. In medio amne circiter 3000 pedum alta, inferne fere ad 2500 deprimitur, superne, in montium declivitate ad 4000 pedum attollitur. Ulterius autem terrae superiori hos montes adscripsimus.

II, b. Camdeboo *)

Ex montibus Sneeuwbergen et Winterveldbergen, quorum radices dicuntur Camdeboosbergen, austrum versus devexa in planitiem abit, quae vero maximam constituit partem. Ort. versus paulo ultra amnem Zondagrivier patet; A. versus in regionem Zwartruggens sensim sensimque transit; nec minus ad Occ. in regionem Koup, nisi flumen Kareeka utriusque terminum ponere placet. Itaque ab A. ad S. paulatim ascendit ab altitudine pedum 2000 usque ad 4500.

II, c. Zwartruggens.

Regio contermina ad S. antecedenti, ad Ort. regioni amnis Vischrivier et inferne Albaniae, ad terram inferiorem pertinenti, quam inter et hanc ipsam regionem defluit amnis Zondagrivier. Ad A. desinit, ubi radices montium Elandsberg et Rietberg incipiunt. Ad Occ. aequae ac antecedens transit sensim in regionem Koup, nisi flumen Kareeka pro termino habere placet. Tota fere carroidea est, 2000—3000 ped. alta, propter amnem depressior. Alois aphyllisque Euphorbiis abundat.

II, d. Koup.

Sic non promiscue dicitur (ut in mappa Smithiana) regio cis et trans montes Nieuweveldbergen sita, sed ea tantum quae austrum spectat; quae vero septentrionem, ut supra monuimus, Nieuweveld, ita ut ipsi illi montes utramque secernant. Ad Ort. regionibus Camdeboo et Zwartruggens confinis est Koup, nec nisi flumine Kareeka distinguitur. Sic etiam ad Occ. non nisi

*) In Lichtensteinii mappa geographica nomen Camdeboo legitur in medio amne Zondagrivier; sed inscribendum est sub montibus Sneeuwbergen.

Dweka flumine a Carroa Magna separatur. Ad A. denique propter soli similitudinem a Drègeo extensa est usque ad ultimas montium Groote Zwartebergen radices. Ipse monet, rectius forsitan in duas regiones dividi, alteram australem eamque planam, alteram septentrionalem, quae montium Nieuweveldbergen devexitatem australem comprehenderet. Interea conjunctioni nil obstare videtur, quum et planitiei et montium florum hic minus differant quam vulgo alibi.

Planities inter altitudinem pedum 2000 et 3000 variat; montes circiter ad 4000 — 5000 ped. altitudinem surgunt. Quibus exceptis, tota regio carroidea est, hic plana ibi clivosior, passim jam, ut Carroa Magna, per tractus longiores Mesembryanthemo spinoso obducta.

II, e. Groote Zwartebergen.

Nec totos hos montes velim intelligas, sed quatenus septentrionem spectant, nec hos solos, sed una, in quos ad Ort. prolongantur, montes Rietberg et Elandsberg, horumque omnium radices septentrionem versus in planitiem excurrentes. Sic autem haec regio fasciam angustam constituit, regiones illas planas Koup et Zwartruggens a terris inferioribus iisque australibus dirimentem. Maximam regionis partem dictorum montium declivitas efficit septentrionalis. Sed alii accedunt montes illis ad S. antepositi, minus elati minusque inter se cohaerentes, quorum numero sunt Kendo, Aasvogelberg, Blydenberg, Schoorsteenberga alii. Accedunt et colles varii campique carroidei hic illicque interjecti, unde haud exigua locorum plantarumque nascitur varietas. Ipse quoque fundus, unde surgunt montes, inter 1500 et 2500 ped. altitudine variat; summa vero montium cacumina circiter 5000 pedum alta sunt.

II, f. Carroa Magna.

Haec ampla planities, collibus applanatis passim intercepta, inde a flumine Dweka versus Occ. usque ad montes Roodezandbergen excurrit. Ab A. aequae ac tota terra media montibus Groote Zwartebergen munitur, quos flumen Hexrivier secernit a

montibus Roodezandbergen. Versus S. denique sensim sensimque in aliam hujus terrae regionem transire videtur, quam Drègeus non adiit. Fortasse non abs re foret, si terminum poneres, unde aqua non amplius ad A., sed ad Occ. S. defluit. Altitudo variat inter 2400—3200 ped. Haud exiguam totius partem Mesembryanthemum spinosum socialiter crescens occupat *).

III. Terra inferior occidentalis.

Totius terrae inferioris, mediam atque superiorem circuli dimidiati ad instar ambientis, divisionem, propter nimiam membrorum et amplitudinem et varietatem, tripartitam esse supra diximus. Initium faciamus ab occidentali, quae inter terram mediam et occidentalem maris oram inde a Garipo in altum excurrente usque ad sinum Falsum (Falsebaai) ejusque ambo promontoria, et Bonae Spei et Hanglip, per sex fere latitudinis gradus porrigitur.

Tota haec terra occidentalis caelo minime eodem gaudet. Namque per omnem Africam australiorem vix ullibi saepius largiusque pluit, quam circa ipsum Bonae Spei promontorium. Quo vero longius abhinc oram occidentalem sequaris ad S., eo magis hyberni imbres intermittunt et fere desinunt, absque pari aestivorum incremento. Unde in altero hujus terrae fine, circa Garipi ostia, est summa caelestium aquarum penuria. Plantae in hac terra crescentes plurimae Septembri mense florere incipiunt, unum circiter mensem prius quam ad oram australem, de qua infra.

Constat haec terra partim montibus nonnunquam ad 5000 ped. altis, sed minus continuis quam in ora australi, per quos terrae mediae flumina cursu saepe obliquo (ab Ort. B. ad Occ. S.) delabuntur; partim planitiebus arenosis sterilibus mari conterminis, partim regionibus variis inter montes et litora maris

*) Eandem plantam latissime patentem in Bokkeveldkarroo et Middel Roggeveld cl. Burchell (trav. v. I pag. 215 et 267), quin etiam in Onder Roggeveld haud procul a montibus Hantam cl. Lichtenstein (Reise v. I pag. 151) copiosissimam observarunt.

ita intermediis, ut neutris adjungi possint. Unde secundi ordinis divisio quinquepartita, quam nunc demonstrabimus, facta est; cui, quum ne haec quidem tantae locorum varietati satisfaceret, alia denique tertii ordinis divisio in regiones singulas subjungetur.

III, A. Montes planitiesque elatiores, terrae mediae confines.

Rectius forsitan clivus horum montium orientalis cum regionibus planis ad Ort. iis adjectis ipsi terrae mediae adscriberetur. Sed quum ab iis terrae mediae partibus, quas a Drègeo latius pervagatas supra indicavimus, nimis longe distent, nec nisi in ultimo terrae mediae limine siti sint, hoc loco de iis agere liceat.

III, A, a. Camiesbergen et Elleboogfonteinsberg.

Montes Camiesbergen, finibus coloniae proximi, fundo circiter 2000 ped. alto impositi, usque ad 5000 ped. supra mare assurgunt. Ab his parum remotus ad Occ. jacet mons singularis Elleboogfonteinsberg, minor, ceterum illis similis (in mappa Smithiana omissus). Plantae in hac ora A. versus frequentissimae, quarum Restiaceas, Santalaceas, Thymelaeas, Proteaceas, Selagineas, Stilbeas, Ericinas, Bruniaceas, Geraniaceas, Oxalideas, Diosmeas commemorare sufficiat, hic vel plane desiderantur vel parcius tantum occurrunt. Eo frequentiores sunt campi graminosi, alibi in hac terra minus frequentes, iisque terrae superioris similes propter Andropogonearum abundantiam, quarum loco alibi in hac terra Avenaceae et Festucaceae occurrere solent.

III, A, b. Boschjemanskarroo.

Planities carroidea 2000—3500 ped. alta, ad fluvium Boschjemans-Doornrivier *) paulo depressior, montium Camiesbergen

*) Sic equidem hunc fluvium, quem incolae, Drègeo teste, simpliciter Doornrivier, geographi alii alio nomine dicunt, cognominare mihi sumsi, quoniam tres ejusdem nominis fluvii, quos distinguere interest,

a dorso ad Ort. B. tendit. In posterum forsan terrae mediae addenda, interim hic militet. Inprimis sicca est, plantisque, quibus aliae hujus terrae regiones, ut diximus, abundare solent, campisque graminosis destituta.

III, A, c. Onderbokkeveld et Maskamma.

Montes applanati sunt vel, si mavis, planities elatiores, 1000—2600 ped. altae, quarum altera ab altera vix differt. Maximam ad partem carroideae sunt et forsan rectius terrae mediae adnumerandae. Sed in declivitate occidentali Restiaceae aliaeque plantarum supra dictarum abundant, passimque Stoebe Rhinocerotis socialiter crescere incipit. Toxicodendron Capense, arbor huic regioni fere solae competit, montique Giftberg, qui ad Mascamma pertinet, nomen impertiit.

III, A, d. Cederbergen, Biedow et Piquetberg.

Montes Cederbergen, ad 5000 ped. ascendentes, inter amnem Olifantrivier et quos conjunctos excipit fluvios Groote et Kleine Doornrivier ab A. ad S. porriguntur. Huic propter soli floriaeque similitudinem jungimus montem Piquetberg, qui mari

hic terrarum occurrunt. Hic, de quo agitur, per regionem Boschjemanskarroo in amnem Olifantrivier defluit. Apud A. Smith dicitur Karro Doorn seu Hantamrivier, apud Lichtensteinium et Burchellium Groote Doornrivier. Alter, quem cum Smithio Groote Doornrivier dicere liceat, quem vero Lichtensteinius et Burchellius Kleine Doornrivier vocant (quamvis hic circa fontes ejus iterum rectius nomen adscripserit Groote Doornrivier), ab eodem amne Olifantrivier, sed paulo superius excipitur. Tertius, quem iterum Smithium sequentes Kleine Doornrivier dicamus, per regionem Koude Bokkeveld decurrit ad Groote Doornrivier, quocum trans montes Cederbergen coit. Apud Lichtensteinium atque Burchellium hic ultimus desideratur; sed jam in Barrowii mappa adest. Drègens ex Namaqua redux et primum trajecit et alterum paulo infra eum locum, ubi secundum Barrowium et Smithium excipit tertium. Hunc postea superius adiit nec tamen trajecit. Quam ob rem ex propriis observationibus, utra pars veritatem tetigisset, judicare quidem nequit, sed Barrowii Smithique sententiam veri similiorem esse arbitratur.

proprior singulus ex planitie emergit. Jungimus porro regionem planiorem transmontanam in utroque fluvii Groote Doornrivier latere sitam, quae rursus in terram mediam transire videtur, cujusque pars citra fluvium dicitur Biedow (nomen in Smithii mappa neglectum, in Burchelliana aliisque adest). Flora ab ea regionis sequentis minus differt.

III, A, e. Winterhoeksberg et qui continui sequuntur montes usque ad promontorium Hanglip, nec non Paarlberg et Tafelberg.

Ubi Cederbergen in laeva amnis Olifantrivier versus A. desinunt, in ejus dextra aliud incipit montium jugum, uno tractu usque in promontorium Hanglip continuatum, sed non ejusdem ubique nominis; in parte septentrionali Winterhoeksberg, tum Draakensteensbergen, Franschehoeksbergen, Hottentottshollandsbergen, et denique Hanglip. Cujus jugi de latere occidentali separatim surgunt montes et Paarlberg et Tafelberg, qui fere eadem ac illi gaudent flora. Humoribus per totum prope annum haec regio montana scatet, plantarumque varietate excellit. Hic autem praecipue inveniuntur, quibus flora, ut dicitur, Capensis maxime inclaruit, Diosmeae, Bruniaceae, Ericinae, Penaeaceae, Proteaceae, Thymelaeae, Santalaceae, Restiaceae, aliae.

III, B. Hottentottorum Namaqua Parva.

De montibus hactenus. Nunc, priusquam ad arenam litoralem descendamus, de regionibus collinis dicendum est, quae, literis III B, III C et III D inscriptae, montes inter et litora patent, licet ipsae partim fere montanae sint, partim in campos abeant. Numero tres sunt: prima Namaqua Parva Hottentottorum, quae, postquam fines coloniae nuper denuo prolatae sunt, Garipo et Koussie amnibus comprehenditur; altera Coloniae provincia ejusdem nominis, Namaqua Parva, quae a Koussie ad Olifantrivier pergat; ultima, ab altera campo spatioso arenoso sejuncta, juxta montem Piquetberg incipit et ad sinum Falsum continuatur per provincias Cap et Stellenbosch.

Prima vero, de qua nunc agamus, excepto maris litore partibusque ei propioribus, 1500—3500 ped. alta est, hic planior ibi clivosior, sicca et carroidea. Nihilo minus in convallibus partis altioris, quae Kaus seu Keis vocatur, Stoebe Rhinocerotis, soli fertilioris imoque fundo humentis index, crescere incipit, frugesque, aequae ac in omni terra stoebifera, prospere proveniunt. Quam partem inter et Koussie amnem abundat Arthratherum brevifolium Nees, gramen pariter et pecudibus et termitis et Boschjemannis *) gratissimum praebens nutrimentum. Restiaceae contra, Proteaceae, Ericinae aliaeque regionum magis australium plantae hic terrarum plane desiderantur.

Propter infimum Garipum terra valde quidem deprimitur, sed carroidea esse pergit, ita ut arena, qua omnis fere ora occidentalis obruta est, hic angustissima incipiat, ulteriusque demum abhinc in spatium exeat. Quare peculiarem ejus regionem distinguere hic superfluum visum est. Versus Ort. denique montes 3000—4000 ped. alti in mappis geographicis nondum indicati surgunt, quos adeo asperos et praecipites esse ferunt, ne nisi longis ambagibus a Namaqua Parva ad regiones superiores perveniatur. Initium autem ducere, Drègeus arbitratur, a regione illa elatiore Kaus, et trans Garipum in illud se exporrigere montium jugum, cujus mentionem in praefatione fecimus.

Locos singulos, plantarum ibi lectarum causa memoratu dignos, etsi plerique eorum in optimis mappis vel omissi vel negligentius dispositi sint, hic tamen enumerare nimis longum foret. Id tantum moneamus, villam Zilverfontein, haud raro plantis adscriptam, in mappa Smithiana perperam intra coloniae fines, haud procul a missionis evangelicae sede Leliefontein collocatam esse; revera autem in altero amnis latere extra coloniae fines, septendecim circiter minutarum, ut dicunt, geographicarum intervallo ad S. facto, jacere.

*) Non aliud est pabulum, quo celerius armenta pinguescant. Termitae spiculas maturas colligunt, quibus spoliantur a Boschjemannis.

III, C. Coloniae provincia Namaqua Parva.

Ab Ort. montibus et Camiesbergen et, quibuscum cohaerent, quosque circumivit nec intravit Drègeus, Karreebergen defenditur. Ad Occ. deserto arenoso a mari separatur. Quibus ad A. et S. omnibus limitetur, dictum est. Antecedente clivosior, 800—2000 ped. alta, minusque carroidea est, Stoebes Rhinocerotis jam feracior. Quas plantas illi deesse diximus, huic etiam desunt. In universum autem utriusque flora diversissima est.

III, D. Clivosior pars provinciarum Stellenbosch et Cap.

Ab antecedente regione amplo dirempta hiatu, quem arena hic latior replet, inter montes Piquetberg et Cardowberg incipit, longoque illi montium jugo, quod a Winterhoeksberg usque ad Hanglip continuari supra (sub III, A, e) retulimus, subjecta est. Ad Occ. regione arenosa inferius (sub III, E, b) describenda definitur.

Ejusdem naturae, sed campis arenosis ab illa sejunctae sunt radices montis Tafelberg. Quare utramque regionem minoribus tantum literis distinguamus.

III, D, a. Regio inter Piquetberg et Baai False.

Hic demum copiosissime crescit Stoebe Rhinocerotis, fruticulus totius Africae australis maxime socialis, nec tamen adeo dense stipatus, ne varia gramina Irideas Orchideas Oxalideas Cyphia Microlomata aliasque plantas minores intercedere patiatur. Supra 1000 ped. hic non ascendit, qua de causa altiora ad regionem montanam (III, A, e) duximus. Itaque hujus nec illius regionis sunt montes Kanonenberg, Dassenberg, Tygerberg, alii, qui 1000 ped. altitudinem haud excedunt.

III, D, b. Radices montis Tafelberg.

Altitudo supra mare eadem statuatur. Stoebe Rhinocerotis aratro propulsa exulasse nec ab initio defuisse veri simile est. Sed huic regioni propria est arbor, Leucadendron argenteum, altitudinis adhuc minus patiens.

III, E. Regiones arenosae.

Restant campi arenosi, omne fere Africae australis litus ambientes, sed hic latius patentés, ibi minus. Ab amne Olifant-rivier versus S. Drègeus nonnisi ad Garipi ostia eos tetigit. Eo diligentius eosdem perquisivit inter Olifantrivier et Bonae Spei promontorium. Stoebes arenam fugientis locum partim alii occupant fruticuli ex Diosmearum Polygalearum Ericinarum Proteacearum Thymelaearum aliarumque plantarum ordinibus, partim variae plantae bulbosae atque tuberosae, post imbres hybernos subito pullulantes floresque pandentes speciosissimos, sed etiam marcescentes celerrime et prorsus evanescentes. Sunt autem regiones duae, altera ab Olifantrivier ad Bergrivier, altera abhinc ad Bonae Spei promontorium porrecta.

III, E, a. Regio arenosa inter Olifantrivier et Bergrivier.

Latissima est. A litore orientem versus sensim sensimque ad mille ped. altitudinem elata, ipsos tangit montes Maskamma Nardowberg et Cederbergen. In parte vero australiori, monte Piquetberg prosiliente, valde angustata transit in sequentem.

III, E, b. Regio arenosa inter Bergrivier et Bonae Spei promontorium.

A montibus regione clivosa (III, D, a) distincta, vix ultra 400 ped. altitudinem attingit. Circumdat autem montem Tafelberg cum montibus collibusque ei adjacentibus insulae ad instar ex hac planitie arenosa in aëra emergentem.

IV. Terra inferior australis.

Ab A. mari, a S. perpetuo illo montium Groote Zwarteborgen jugo, quod terrae mediae limen esse diximus, compressa, angustam refert laciniam inde a montibus Hottentottshollandsbergen permissam usque ad colles Albaniae graminosos, qui vero jam paulo ultra amnem Zondagrivier et adhuc intra provinciam Uitenhaag incipiunt. Per mediam hanc terram aliud montium jugum excurrit, in parte maxime occidentali Hexriviersbergen, tum

Zwellendambergen seu Kleine Zwartebergen, tum, unde amnem Gauritzrivier transmittet, Outeniquasbergen appellatum. Ad Occ. prope flumen Hexrivier cum altero montium Groote Zwartebergen jugo in unum coit, sed Ort. versus, ni multum, continenter tamen ad mare divergit, litusque planum semsim coarctat, donec haud procul a Sti Francis promontorio desinit. Inter utrumque interjectum est tertium montium jugum, triplo brevius, sed non exiguum, ad Occ. Kammanasiebergen, medio Kougabergen, ad Ort. Winterpik dictum, quod exurgit, ubi Kammanasierivier cum Olifantrivier (altero amnis Gauritzrivier brachio) confluit. Itaque tota haec terra, praeter montes terramque litoralem, valle constat longissima, eaque, si ab Occ. ingressus eris, primum simplice, deinde vero bicipite. Regio litoralis hic multo minus expansa est, quam in ora occidentali; et in provinciis Outeniqualand et Zitzikamma, ubi montes mari proprius accedunt, angustissima fit.

Imbres hyberni quidem per hanc terram ab Occ. ad Ort. cito diminuuntur; aestivi vero eo frequentiores cadere solent: quae differentia jam prope Zwellendam manifesto sentitur. Quo fit, ut florendi tempus paulo serius, quam in terra occidentali, contingere, mensibusque Octobri Novembri et Decembri comprehendi soleat.

Dividimus hanc terram in regiones montanas collinas atque campestres.

IV, A. Montes.

Non omnes hujus terrae montes hoc uno titulo complectimur, sed inprimis jugum inferius seu mari proprius. Superioris enim latus septentrionale jam supra ad terram mediam duximus, australe vero una cum toto jugo intermedio levius tantum Drègeus tetigit. Quam ob rem plures montium regiones distinguere supervacaneum visum est.

Radices indicati montium jugi, quoad huc pertinent, circa 800 ped., cacumina inter 4000 et 5000 ped. supra mare eminent. Quo magis ad Ort. tendit, eo uberius gramine ornatum est; quod

tamen non impedit, quo minus formae plantarum praecipuae, quibus proximi occidentalis orae montes gaudent, omni simul jugo australi, licet parcius, competant.

IV, B. Regiones collinae.

Huc ducimus regiones, quae neque ad montanas neque ad litorales pertinent, quamvis nec montibus nec planitiibus omnino destitutae sint. Quarum tres distinguere sufficit, primam, quae colles montesque minores, occidentalis terrae montibus conterminos, continet; alteram, quam ab amne Breederivier appellare liceat; postremam, quae montium dictorum Kleine et Grootc Zwartbergen jugis includitur.

IV, B, a. Regio trajecti Lowryspas.

Per hunc trajectum, qui olim Hottentottshollandskloof dicebatur, a terra occidentali in australem itur. Huc igitur solus ejus clivus orientalis pertinet, una cum montibus minoribus collibusque saxosis ad Ort. ei propioribus, quorum sunt Houwhoek, Donkerhoek, Ezelsjagt, alii. Altitudo supra mare inter 500 et 2000 ped. variat.

IV, B, b. Regio amnis Breederivier.

Hic primum dicenda est ipsius amnis vallis, fontibus exceptis, qui ex terra media decurrunt. Superne Roodezand, tum laxata ad dextram Boschjesveld vocatur: abhinc in spatium abit, per mediam provinciam Zwellendam. Deinde huc pertinet vallis fluminis Zondereind, cum Breederivier confluentis, exceptis iterum fontibus ex antecedente regione descendentibus. Tum quae sunt propter Caledon, una cum monte solitario Zwarteberg inter Caledon et flumen Zondereind. Postremo regio clivosa inter Zwellendam et amnem Gauritzrivier, ita tamen, ut omnem regionem litoralem inde a promontorio Hanglip usque ad amnem Gauritzrivier ab hac regione sejungamus.

Naturalis ejus indoles minime quidem ubique eadem est. Altitudo variat inter 200 et 1000 ped. Campus Boschjeveld totus

fere carroideus est: inde a Zwellendam ad Ort. campi graminosi jam frequentiores fiunt. In universum tamen hujus regionis flora parum recedit ab ea regionis, quam sub literis III D a descripsimus, et Stoebe Rhinocerotis hic quoque reliquas stirpes frequentia superat.

IV, B, c. Regio montibus interjecta.

Constat vallibus tribus principalibus, quarum aquae ab ortu et ab occasu in medium conflunt, ita ut lacus fieri oporteret, nisi annis Gauritzrivier inferius montium jugum funditus dissecasset rectaque via ad mare delaberetur. Dicuntur autem vallis orientalis, quae inter Groote et Kleine Zwartebergen est, Trado seu Kannaland; ambarum orientalium ea, quae ad laevam inter Kammanasiebergen et Groote Zwartebergen, aequae flumen, qua transitur, Olifantrivier; ea vero, quae ad dextram est, inter Kammanasiebergen et Outeniquasbergen, Langekloof, id est vallis longa; et revera longissima est, aquasque suas utrinque demittit, Occ. versus per Kammanasierivier et Olifantrivier ad amnem Gauritz, Ort. versus per flumina gemina, laevum Kougarivier ad amnem Gamtosrivier, dextrum Krommerivier ad mare. Soli altitudo est inter 1000 et 3000 ped. Hic etiam, nec ultra, Stoebe Rhinocerotis laete crescendo futuras segetes colonis praesignificat.

IV, C. Regiones litorales.

Quae tandem sunt specierum discrimina? In primis rete foliorum venosum aliis tenuissimum aliis incrassatum, variaeque calycis formae atque mensurae. Facilior autem tutiorque calycis comparatio cum carina, quam, quae aliis placuit, cum aliis, mihi visa est. Differentias laciniarum calycis inter se nunc subsimilium nunc dissimilium, quoniam brevibus accurate exprimi nequeunt, in diagnoses haud recepi, et quaecumque simpliciter de laciniis calycis dicta sunt, de iis intelligi velim, quae intermediae sunt inter laciniam impariorem inferiorem et par laciniarum superius.

I. SERICEA R. BROWN.: foliis obovatis utrinque sericeis, calycis sericei laciniis angustis acuminatis carinam aequantibus, sinibus rotundatis. — Cand. prodr. II, pag. 101. (exclus. forte Thunb. synon.).

a) Ad montem Tafelberg, prope Rondebosch, altit. 300 — 800 ped. (III, D, b) b) Kaapsche Vlakte inter Duykervalei et Blaauwberg, altit. 200 ped. (III, E, b).

Hujus stirpis folia semper obovata vel subelliptica, nec unquam ovata vidi, pedunculosque semper unifloros dimidio folio breviores, calyces denique aequae ac folia constanter sericeos. Quibus tamen omnibus minus credas. Optimum characterem praebet indicata calycis forma, cui adde, flores in genere minimos dilute violaceos, quem colorem apud reliquas non observavi.

Hypocalyptus sericeus Thunb. ob pedunculos longiores floresque albentes ad speciem sequentem pertinere videtur, quamvis et hujus varietas ejusmodi dari possit.

2. CUNEIFOLIA VENT.: foliis obovatis obcordatisve utrinque diu sericeis, calycis demum subhispiduli laciniis subtriangularibus, carina duplo brevioribus. — Cand. l. c.

Hypocalyptus sericeus Thunb.? fl. capens. pag. 569.

β. *diantha*: foliis obovato-oblongis, pedunculis bifloris.

a) Prope Liefde ad Breederivier altit. 800 ped. (IV, B, b); b) prope Kaymansgat in dumosis, altit. 500 ped. (IV, C, b) c) in collibus calcareis prope Zoetmelksrivier, altit. 600 ped. (IV, C, a).

Var. β . ad margines sylvae prope Koratra, altit. 1000 ped. (IV, C. b).

Variat floribus albis, ut a Ventenatio describuntur, et al-
bentibus ad fundum subnigricantibus, et incarnatis et purpureis.
Pedunculi folium modo dimidium vix aequant modo totum su-
perant. In var. β . longiores sunt, nec tamen foliis aequales,
quoniam hujus folia ipsa majora. Inter specimina a me visa
nonnulla iconem Ventenatianam adamussim expriment, plura
aut foliis fere duplo minoribus plus minusve emarginatis, aut
pedunculis bifloris, floribusque tunc paulo minoribus recedunt.

3. **BIFLORA LAM.:** foliis subellipticis utrinque diu sericeis,
calycis mox tomentoso-hispiduli tubo subcampanulato, limbi
laciniis subtriangularibus, carina parum brevioribus. — Lam.
illustr. gen. tab. 327, fig. 3. Willd. spec. plant. II, pag. 505.
Sims. bot. magaz. tab. 753. R. Brown. in Ait. hort. kew.
edit. 2, tom. III, pag. 7.

P. argentea Salisb. parad. lond. tab. 7. (teste Candollio, ipse
librum non vidi). Cand. l. c. pag. 102.

Hypocalyptus pedunculatus Thunb. l. c.

Sophora biflora Retz. observ. I, pag. 36.

β . *multiflora*: gracilior, pedunculis longissimis 2—4 floris.

P. racemulosa Cand.? l. c.

γ . *uniflora*: robustior, foliis nitorem citius exuentibus, pedun-
culis folio subbrevioribus crassis unifloris.

Ad radices montis Tafelberg prope urbem, altit. 500 ped.
(III, D, b).

Var. β . legit Ecklon in Hottentottsholland (III, D, a).

Var. γ . absque loco natali dedit Drege, lectam forsitan
cum var. α .

Calycis initio sericei pili sensim rigidiores fiunt, erigun-
tur, incurvantur, postremo torsionem quandam experiuntur. Qua
nota, tubo calycis longiore, laciniisque subtriangularibus speciem
facile cognosces. Corolla nunc alba, nunc incarnata, nunc alba
limbo roseo cincta.

Hujus specimen possideo, quod Burmannus Linnaeo, hic
Sophorae biflorae nomine Beckmanno dederat. Inter for-

nam vulgarem et varietatem β intermedium est, pedunculis bifloris, jam paulo longioribus gracilioribusque quam a *Simsio* pinguntur. Nihilominus Willdenovio, qui *Sophoram* bifloram Linn. spec. plant. pag. 534 *Podalyriae* suae myrtifoliae subscripsit, propter diagnosin Linnaeanam huc certe spectantem assentirem, nisi Linnaeum species adeo similes ex consulto non distinxisse veri similis videretur.

4. **BUXIFOLIA LAM.:** foliis oblongis subcuneatis, supra glabris, subtus diu sericeis, calycis sero subhispiduli laciniis lanceolatis carinam aequantibus, superioribus binis semiconnatis supra subgibbosis. — Lam. l. c. fig. 4. Willd. l. c. Edw. botan. regist. tab. 869. Cand. l. c.

P. glauca Cand. l. c.

Hypocalyptus glaucus Thunb. l. c.

Sophora buxifolia Retz. l. c. pag. 35.

† β . *diantha*: pedunculis bifloris folio plus duplo longioribus.

a) Ad margines sylvae prope Kaymansgat, altit. 600 ped. (IV, C, b); b) in dumosis ad montes Ataquaskloof, altit. 1500 ped. (IV, A).

Var. β . leg. Ecklon in Zoutendalsvalley Caledoniae.

Species distinctissima, sed minime dissecanda. Foliorum forma nonnunquam ad *P. cuneifoliam* accedit, calycis forma *P. myrtillifoliae* propior est; ab utraque differt foliis supra glabris. Pedunculi foliis semper aliquantulum, saepe multo longiores, et tunc plerumque biflori sunt. Quam ob rem *P. glauca* Cand., pedunculis jam elongatis, sed adhuc unifloris, medium tenet inter varietates nostras α et β , sed ab α distingui vix meretur.

5. **MYRTILLIFOLIA WILLD.:** foliis ellipticis ovatis obovatisve, utrinque diu semperve sericeis, calycis semper sericei vel demum tomentoso-subhispiduli laciniis subovatis acutis, carina duplo brevioribus. — Willd. l. c. (excluss. synonym. hic non repetitis). R. Brown. l. c. Cand. l. c. pag. 101.

P. Burchellii Cand.? l. c.

Sophora myrtillifolia Retz. l. c. pag. 36.

β. parvifolia: foliis parvis ovatis acutis utrinque diu sericeis, pedunculis saepius unifloris folium subaequantibus.

P. parvifolia Cand. l. c. pag. 102.

Crotalaria parvifolia Thunb. fl. capens. pag. 571.

γ. liparioides: foliis plerumque obovatis calycibusque fere semper sericeis, pedunculis elongatis bifloris.

P. liparioides Cand. l. c.

a) In monte Tygerberg et in collibus Klein Drakensteen, altit. 500—1000 ped. (III, D, a); *b)* Van Staadesberg, altit. 1500 ped. (IV, C, c); *c)* Donkerhoekshoogte, altit. 1500 ped. (IV, B, a); *d)* Znuereberge in saxosis aridis, altit. 2500 ped. (V, a); *e)* in graminosis prope Omsamcaba, altit. 100 ped. (V, a).

Var. *β.* in montibus provinciae Drakensteen, altit. 3000 ped. (III, A, e).

Var. *γ. a)* in fruticetis et graminosis in Klein Drakensteen, altit. 500—800 ped. (III, D, a); *b)* ad montem Paarlberg, altit. 1000 ped. (III, A, e).

Species omnium maxime versatilis, sed calyce insignis. Nam apud *P. buxifoliam* calycis lacinae longiores sunt, binaeque superiores dissimiles; apud hanc omnes subaequales carina breviores. Apud *P. bifloram* tubus calycis duplo longior, lacinaeque non ovatae, sed potius triangulares. Qua nota posteriore haec nostra differt etiam a *P. cuneifolia*, cui insuper lacinae calycis minores acutioresque sunt. *P. sericea* denique sinus calycis rotundatis facile distinguitur.

P. rotundifolia Berg., a Willdenovio huc revocata, absque ipsius auctoris specimine extricari nequit. Myrto-Genista Breyn, centur. tab. 27 (nec 29), quae jam Willdenovio suspecta erat, haut dubie Rafniae species est. Plukenetii denique Hermannique icones a Willdenovio laudatae ob folia reticulata ad *P. calyptratam* pertinere videntur.

6. ORBICULARIS: foliis orbicularibus supra glabris, subtus villosis-sericeis, margine revolutis, calycis villosi-sericei laciniis subovatis carinam subaequantibus.

In fruticeto ad montem prope Gnadenthal, altit. 3000 ped. (IV, a).

Caulis lignosus ramosus ramique patuli subflexuosi superne villosi, villo obscure ferrugineo. Folia brevissime petiolata orbicularia, rarius subcordata, sinu levissimo et angustissimo, pollicaria, suprema duplo minora nonnunquam ad basin parumper angustata, ideoque subovata minime cordata, omnia supra glaberrima obscure viridia nitidula rugulosa vix manifeste reticulata, subtus villo denso sericeo obscure ferrugineo tecta, margine revoluta, ceterum plana. Pedunculi in summis ramulis axillares bini vel solitarii uniflori erecti vel subpatentes, folium aequantes vel paulo superantes, superne pro generis more articulati. Calyces clausos non vidi; florentes intrusi paulo ultra medium quinquefidi, laciniis subaequalibus subovatis leviter acuminatis, binis superioribus paulo altius cohaerentibus, intermediis carinam subaequantibus. Pedunculorum calycisque vestitus ei foliorum similis, sed minus nitens. Corolla rosea. Legumen non vidi.

7. CANESCENS: foliis late ovatis apice rotundatis subretusis, supra pubescentibus, subtus reticulatis tomentosis, calycis sericeo-subhispiduli laciniis lanceolato-oblongis carinam subaequantibus, binis superioribus obtusiusculis basi connatis.

Hypocalyptus canescens Thunb. l. c.

Paarl et Draakensteen in montium praeruptis, altit. 1000—3000 ped. (III, A, e).

Pulcherrima species. Specimina vidi absque radice bipedalia, caule digitum minorem crasso, molliori, recto, ramis erectopatentibus rectis, canescentibus apicem versus ferrugineis. Folia inferiora breviter petiolata, pollices $2\frac{1}{2}$ longa, 2 fere lata, marginibus subreflexis, non revolutis, juniora utrinque sericea praesertim subtus dilute ferruginea, adulta nitoris expertia canescentia supra pilis rarioribus appressis pubescentia, subtus tam tenuiter tomentosa, ut rete venarum crassiusculum minime abscondatur. Flores in summo caule ramisque frequentissimi, in genere maximi, intense rosei. Pedunculi axillares uniflori dimidium folium superantes, jam obscurius ferruginei. Calyx ejusdem coloris sericeus, deinde subhispidulus, paulo ultra medium quinquefidus, laciniis binis superioribus paulo altius cohaerentibus obtu-

siusculis, infima magis acuminata, intermediis acutis subfalcatis, carinam subaequantibus, alas vero paulo longiores haud attingentibus. Quam ob rem *P. hirsuta* Willd. esse nequit, cujus calyx alis aequalis dicitur.

8. **CORDATA R. BROWN.**: foliis subcordato-ovatis concaviusculis utrinque subsericeo-lanatis subtus reticulatis, calycis tomentoso-hispiduli laciniis lanceolatis carinam aequantibus. — **Cand. l. c.**

Dutoitskloof in rupestribus montium humidiusculis, altit. 2000—3500 ped. (III, A, e).

Praecedenti proxima; sed foliis acutis concavis nec margine reflexis, lanaque longa vestitis facile distinguitur.

9. **CALYPTRATA WILLD.**: foliis obovato-ellipticis oblongisve utrinque pubescentibus, subtus reticulatis, calycis subsericei laciniis lanceolatis carinam subaequantibus. — Willd. l. c. pag. 504. **R. Brown l. c. pag. 7.**

P. styracifolia Sims. bot. magaz. tab. 1580. **Cand. l. c.**

Hypocalyptus calyptratus Thunb. l. c. pag. 568.

Sophora calyptrata Retz l. c. Thunb. prodr. capens. pag. 79.

Sophora biflora Houtt. syst. plant. edit. german., vol. III, tab. 24, fig. 1.

Sebae thesaur. II, tab. 99, fig. 3.

β . **lanceolata**: foliis oblongo-lanceolatis, junioribus sericeo-subvillosis.

a) In monte Tafelberg prope Wynberg, altit. 200—800 ped. (III, D, b.); b) in humidis ad montem prope Gnadenthal, altit. 1600 ped. (IV, A).

Var. β . ad rivulum prope Sparrbosch, altit. 600 ped. (IV, B, b).

Varietatem β , a Dregeo primum observatam, pro peculiari specie haberem, nisi rete foliorum venosum calycisque forma in utraque varietate exacte congruerent. Folia hujus varietatis saepe bipollicaria et ultra, 8 lineas lata, ad basin minime angustata.

Tribus II. **LOTEAE** Cand.SUBTRIBUS I. **GENISTEAE** CAND.**RAFNIA** Thunb.

Rafniae spp. et Vascoa Cand.

Calyx quinquefidus, lacinia inferiore angustiore. **Petala** glabra. **Carina** rostrata genitalia includens, rostro arrecto obtuso. **Stamina** monadelphica. **Legumen** lanceolatum compressum polyspermum ad suturam superiorem subalatum.

Vascoa a **Rafnia** calycis laciniis minus inaequalibus differre dicitur. Sed nil magis multiplex quam et **Vascoarum** et **Rafniarum** calyces, ita ut eos aut negligere aut tot fere genera, quot sunt species, condere oporteat. Peculiaris **Vascoarum**, quem premunt, habitus in herbariis, ubi plantarum majorum summitates tantum adesse solent, nec vero in rerum natura reprehenditur. Nam **Vascoae** **Rafniis** majores et ramosiores esse solent; foliaque ramea caulinis dissimilia sunt. Conveniunt autem et **Rafniae** et **Vascoae** omnium partium glabritie, foliis simplicibus coriaceis glaucescentibus exsiccatione saepe nigricantibus, nec non inflorescentia petalorumque leguminisque formis supra indicatis.

1. **VIRENS**: foliis cordato-orbiculatis obtusissimis glaucescente demum orbatis, calycis laciniis quatuor superioribus subaequalibus acuminatis.

Dutoitskloof in montibus inter saxa, altit. 1500 ped.

(III, A, 2).

Ab auctoribus cum sequente forsitan confusa. Differt et calycis forma et foliorum perfectorum colore. Omnium maxima est, foliis saepe 3—4 pollices latis.

2. **AMPLEXICAULIS THUNB.**: foliis cordato-orbiculatis obtusissimis constanter glaucis, calycis laciniis quatuor superioribus subtriangularibus acutis.

Vascoa amplexicaulis Cand. prodr. II, pag. 119.

Zoethoutboschje colonis.

a) Paarlberg in siccis saxosis (III, A, e); b) Cederbergen (III, A, d); c) Giftberg (III, A, c); altit. 500—2000 ped.

Liquiritiam sapit, eique substitui solet.

3. **PERFOLIATA:** foliis cordato-orbiculatis apiculatis, calycis laciniis binis superioribus subrhomboideo-cultratis.

Borbonia perfoliata Thunb. prodr. fl. capens. pag. 122, (omissa in fl. capensi).

Vascoa perfoliata Cand. l. c.

a) Dutoitskloof in rupestribus humidioribus (III, A, e);
b) Wupperthal (III, A, d); c) Waaihoek (IV, B, b); altit. 1000—3000 ped.

4. **OVATA:** foliis elliptico-ovatis acuminato-mucronatis, calycis laciniis quatuor superioribus acuminatis.

Cederbergen inter rupes, altit. 2800—4600 ped. (III, A, d).

5. **TRIFLORA:** foliis ovatis ellipticisve, infimis subcordatis, calycis laciniis quatuor superioribus cultratis per paria conniventibus subciliatis.

Rafnia triflora et elliptica Thunb. fl. capens. pag. 563. Cand. l. c. pag. 118.

a) In collibus prope Wynberg, altit. 400 ped. (III, D, b);
b) prope Riebekskasteel (III, D, a); c) inter Piquetberg et Olifantrivier (III, E, a); altit. 800—1200 ped.

Species quoad foliorum formas adeo versatilis, ut ne varietates quidem dispescere liceat, calyce facillime cognoscitur.

6. **CUNEIFOLIA THUNB.** foliis cuneatis mucronatis, calycis laciniis binis superioribus majoribus cultratis — Thunb l. c. Cand. l. c.

a) Paarl et Dutoitskloof in montosis saxosis siccis (III, A, e); b) in graminosis ad montem Van Staadesberg (IV, C, c); c) Ado et Zuurebergen (V, a); altit. 800—3000 ped.

7. **LANCEA CAND.** foliis obverse lanceolatis, calycis lacinia inferiore setacea, quatuor superioribus semiconnatis. — Cand. l. c. pag. 119.

Oedmannia lancea Thunb. l. c. pag. 561.

a) In planitie arenosa inter Tygerberg et Stellenbosch, altit. 200 ped. (III, E, b); b) prope Paarl, altit. 500 ped. (III, D, a).

8. **ANGULATA THUNB.**: foliis obverse lanceolatis, calycis laciniis quatuor superioribus lanceolatis subacuminatis. — Thunb. l. c. pag. 564. Cand. l. c.

† β . *angustifolia*: foliis sublineari-lanceolatis, vix duas lineas latis. — An Thunb.? l. c. Cand.? l. c.

γ . *filifolia*: foliis angustissimis linearibus canaliculatis. — Thunb. l. c. Cand. l. c.

Prope Kampsbaai, altit. 500 ped. (III, D, b).

Var. β . in montibus Tafelberg atque Duivelsberg (III, A, e), leg. Ecklon.

Var. γ . *a*) in arenosis ad fluvium Bergrivier; *b*) in collinis prope Paarl, altit. 400—600 ped. (III, D, a).

De formis hic conjunctis ne merae varietates sint nullus dubito; sed an synonyma ad varietatem β laudata vere huc spectent, nescio. Possideo enim plantam ab Ecklone lectam varietati illi β simillimam, sed calyce adeo discrepante instructam, quin pro diversa specie habere nequeam, et incertus haeream Thunbergius utrum hanc an illam an forte utramque intellexerit. Sit autem, nisi ab auctore jam alio nomine ornata est:

† 9. **ECKLONIS**: foliis linearibus, calycis laciniis quatuor superioribus dilatatis obtusis.

In Kaapsche Vlakte (III, E, b) legit Ecklon.

PELECYNTHIS

Rafniae species Thunb.

Calyx quinquefidus, lacinia inferiore angustiore. Petala glabra. Carina subfornicata truncata, genitalia includens. Stamina monadelphica. Legumen stipitato-resupinatum compressum submonospermum ad suturam superiorem subalatum.

Genus *Rafniae* proximum, carina minime rostrata prae reliquis discedens. At in posterum forsitan dividendum. Nomen a verbo *πέλεκυς*, securis, ex leguminis similitudine.

Sectio I. COLOBOTROPIS.

Carina superius dilatata truncata. — Habitus *Rafniarum*. Nomen a verbis *κόλοβος*, truncatus, et *τρόπις*, carina.

1. **RHOMBOIDEA**: glauca, foliis alternis subrhomboideis, floribus 1—3 terminalibus.

Piquetberg in apricis, altit. 2800 ped. (III, A, d).

2. **CORYMBOSA**: subvirescens, foliis alternis lanceolatis, corymbis terminalibus solitariis conjugatisve.

— *Rafnia spicata* Thunb. fl. capens. pag. 564.

Paarlberg, altit. 800—1200 ped. (III, A, e).

Variat foliis longioribus latioribusque, nitidulis laevibusque. Nomen specificum ineptum rejiciendum putavi; pedunculi enim tres lineas longi ni longiores spicam efficere nequeunt. Folia superiora corymbis saepe quidem longiora sunt, sed nunquam pedunculi foliis intercedunt, quod ex Thunbergio crederes.

Huic quoad folia caulina satis similia sunt:

† 3. **OPPOSITA**: foliis obovato-oblongis, rameis oppositis, floribus terminalibus alaribusque subsolitariis, calyce petalorum unguibus parum longiore.

Rafnia opposita Thunb. l. c.

Zwarteberg, (IV, B, b) legit Ecklon.

† 4. **AXILLARIS**: foliis obovato-oblongis, rameis oppositis, floribus terminalibus alaribusque subsolitariis, calyce petala subaequante.

Rafnia axillaris Thunb. l. c.

Kleinriviersberg (IV, B, b) legit Ecklon.

5. **DICHOTOMA**: foliis lanceolato-linearibus, rameis oppositis, floribus terminalibus solitariis.

Draakensteen in montosis, (III, A, e).

Sectio II. HYBOTROPIS.

Carina galeato-truncata dorso gibba. — Nomen a verbo ἵβος gibber.

* 6. **GIBBA**: foliis glaucis ellipticis, rameis oppositis ovatis, floribus terminalibus solitariis, stipite legumen subaequante.

Cederbergen? (III, A, d).

Sectio III. CAMINOTROPIS.

Carina fornicata obtusa. — Nomen a verbo κάμνρος, fornix.

7. **RETROFLEXA**: erecta glaucescens, ramis divaricato-subrefractis, foliis obovatis rameis alternis, floribus terminalibus axillaribusque.

Rafnia retroflexa Thunb. l. c. pag. 565.

Onder Bokkeveld? (III, A, c).

8. **DIFFUSA**: ascendens glaucescens, ramis erectis foliisque secundis, rameis alternis obovato-lanceolatis, floribus terminalibus.

Rafnia diffusa Thunb. l. c.

a) Onder Bokkeveld, altit. 2500 ped. (III, A, c); b) Cederbergen prope Ezelsbank, altit. 3800 ped. (III, A, d).

BORBONIA Linn.

Vexillum omnium specierum extus hirsutum, sed carina cum alis monospermae ruscifoliae parviflorae crenatae perforataeque glabra est.

† 1. **BARBATA** LAM.: foliis anguste lanceolatis multinerviis ciliato-barbatis, floribus axillaribus subsessilibus, petalis omnibus villosis. — Cand. prodr. II, pag. 120.

In monte Tafelberg, altit. 2000—3000 ped. (III, A, e) leg. Ecklon.

2. **MONOSPERMA** CAND.: glabra, foliis anguste lanceolatis trinerviis, pedunculis terminalibus capillaceis folia superantibus unifloris, carina glabra. — Cand. l. c.

(IV, A).

3. **DECIPIENS**: foliis anguste lanceolatis 5—7-nerviis glabris, summis ramulisque pilosis, pedunculis axillaribus terminalibusque unifloris calyce pilosiusculo brevioribus, petalis omnibus villosis.

B. trinervia mihi olim in herbar. Ecklonis.

Inter Konstantia et Steenberg, altit. 600 ped. (III, D, b).

4. **TRINERVIA** LINN.: glabra, foliis anguste lanceolatis 3—5-nerviis, pedunculis axillaribus terminalibusque unifloris calyce glaberrimo brevioribus, petalis omnibus villosis. — Cand. l. c.

Kamiesbergen prope Krakkeelskraal, altit. 3500 ped. (III, A, a).

Nervorum numerus ternarius minime constans; quam ob rem de Lamarckii synonymo nullus dubito.

5. LANCEOLATA LINN.: glabra, foliis lanceolatis multinerviis, racemi terminalis rachi folio breviori, petalis omnibus villosis. — Cand. l. c.

a) Kein-Draakensteen in convallibus humidis (III, D, a); *b)* prope Konstantia (III, D, b); *c)* ad Rivier-Zonder-Einde (IV, B, b); altit. 300—600 ped.

6. CORDATA LINN.: foliis cordatis acuminatis multinerviis glabris, floribus terminalibus subcapitatis, ramis calycis tubo petalisque omnibus villosis. — Cand. l. c.

a) Ad montem Tafelberg, altit. 400 ped. (III, D, b); *b)* Riebekskasteel, altit. 800 ped. (III, D, a); *c)* in arenosis inter Tygerberg et Stellenbosch, altit. 300 ped. (III, E, b).

7. RUSCIFOLIA SIMS.: glabra, foliis cordatis acuminatis multinerviis ad marginem cartilagineo-scabris, racemis terminalibus brevissimis subpilosis, carina leguminibusque glabris. — Cand. l. c.

Bergthee colonis.

In saxosis siccis montium *a)* Dutoitskloof, *b)* Paarlberg (III, A, e), altit. 800—2000 ped.

8. PARVIFLORA LAM.: glabra, foliis cordatis acuminatis multinerviis ad marginem cartilagineo-scabris, racemis terminalibus folia paulo superantibus, carina glabra, vexillo leguminibusque pilosis. — Cand. l. c.

Piquetberg ad rivulos, altit. 1500 ped. (III, A, d).

9. CRENATA LINN.: foliis cordato-subrotundis multinervi-reticulatis cartilagineo-denticulatis subciliatis, racemis terminalibus folia vix aequantibus ramisque pilosis, calycis laciniis acutis tubo brevioribus. — Cand. l. c.

a) Dutoitskloof et *b)* Winterhoek, in montium rupestribus subumbrosis, altit. 2000 ped. (III, A, e).

A sequenti non ramis glabris, sed inflorescentia calyceque discernenda. In hortis saepe confunduntur.

10. PERFORATA THUNB.: foliis cordato-subrotundis multinervi-reticulatis cartilagineo-denticulatis ciliatis, pedunculis ax-

illaribus terminalibusque folia superantibus 1—2-floris ramisque pilosis, calycis laciniis angustissimis tubo longioribus.

B. cordata Thunb. prodr. (1794) pag. 122.

B. ciliata Willd. spec. plant. III. (inter 1800 et 1805), pag. 923. Cand. l. c.

Crotalaria perforata Linn. mant. pag. 439.

Dutoitskloof in rupestribus praeruptis montium umbrosis, altit. 3000—4000 ped. (III, A, e).

LIPARIA Linn.

1. **SPHAERICA LINN.** — Cand. prodr. II, pag. 121.

In collibus prope Wynberg altit. 400 ped. (III, D, b).

PRIESTLEYA Cand.

Generis character apud cl. Candollium, quod carinam attinet, sic emendetur: Carina cum genitalibus incurvata retusa per suturam dorsalem in petala duo libera secedens. — Flores, excepta specie ultima, lutei.

Sectio I. ISOTHEA Cand.

Calyx ad basin intrusus. Carina subrostrata. Flores lutei.

1. **MYRTIFOLIA CAND.** prodr. II, pag. 121.

Dutoitskloof, in rupestribus humidis, altit. 2000 ped. (III, A, e).

Calyx ad basin serius circumscissus annuli ad instar in podocarpio persistit. Flores non vidi.

2. **HIRSUTA CAND.** l. c.

a) Ataquaskloof (IV, A), b) Langekloof (IV, B, b), c) George (IV, C, c), d) Van-Staadesberg (IV, C, c), in rupestribus humidioribus, altit. 1000—2500 ped.

† 3. **UMBELLIFERA CAND.** foliis lanceolato-linearibus nervis glabris, summis ramulisque pilosis, floribus alaribus solitariis terminalibusque fasciculatis, calycis intrusi pilosi laciniis angustis acuminatis. — Cand. l. c. pag. 122.

In monte Klein-Riviersberg legit Ecklon.

A sequente, cui admodum similis, cum inflorescentia tum praesertim calyce differt.

4. **LAEVIGATA CAND.**: foliis oblongo-linearibus enerviis glabris pilosisve, floribus terminalibus capitatis, calycis leviter intrusi hispiduli laciniis abbreviatis obtusis.

α. pilosa: foliis praesertim ad margines ramulisque pilosis.

P. laevigata Cand. l. c. pag. 121.

β. glabra: foliis ramulisque glabris.

P. capitata Cand. l. c.

Ad montem Dutoitskloof, altit. 1800 ped. (III, A, e).

Var. *β.* in saxosis montium prope Gnadenthal, altit. 2600 ped. (IV, A).

Praeter glabritiem varietas *β.* nullo modo differt. Calyx utriusque formae certe intruditur, licet levius seriusque quam aliarum specierum.

5. **CEPHALOTES**: foliis oblongis uninerviis hirsutis, demum subglabratis, floribus terminalibus capitatis, calycis villosi demum leviter intrusi laciniis oblongis obtusis.

Crotalaria capitata Lam. encycl. III, pag. 159; illustr. gen. tab. 617, fig. 3.

β. angustifolia: foliis sublineari-oblongis appresse pubescentibus demum omnino glabratis.

Ad rivulum montis Dutoitskloof altit. 2800 ped. (III, A, e).

Var. *β. a)* ad rivulum montis Piquetberg, altit. 2500 ped. et *b)* Cederbergen altit. 3600 ped. (III, A, d).

6. **VESTITA CAND.** l. c. pag. 122.

In rupestribus ad Lowryspas altit. 2000 ped. (III, A, e).

Folia imbricata, Calyx sat profunde intrusus.

7. **TECTA CAND.** l. c.

a) Klein-Draakensteen in collinis altit. 600 ped. *b)* Paarlberg, altit. 1000—2000 ped. (III, A, e).

Differt ab antecedente, cui similis, foliis planiusculis patulis utrinque subsericeo-tomentosis, floribus axillaribus. Pedunculi breves. Calyx levissime intrusus.

Sectio II. ANISOTHEA Cand.

Calyx non intrusus. Carina minus curvata erostris, superne latior rotundata.

Sectio, apud. cl. Candollium justo amplior et propterea minus naturalis, ita ut hic proponitur, genus fere intermedium constituere posset inter Priestleyam atque Ingenhoussiam, calyce non intruso huic, habitu illi proprius accedens, carina neque omnino recta neque rostrata ab utraque recedens, colore floris nunc luteo nunc violaceo inter utrumque ambigente.

8. **VILLOSA CAND.**: erecta, ramis subumbellatis, foliis ellipticis utrinque sericeo-subvillosis, floribus fasciculato-capitatis terminalibus, calycis laciniis tubo brevioribus.

P. villosa Cand. l. c. excl. var. β .

Liparia villosa Linn. mant. pag. 269.

Seb. thesaur. I, tab. 24, fig. 2.

In umbrosis montium a) Duivelsberg et b) Tafelberg, altit. 1000—3000 ped. (III, A, e).

Borbonia tomentosa Linn. spec. pl. pag. 994. tres species diversas complecti videtur. Forma princeps, ex laudata Sebae icone, est *Priestleya vestita*. Var. β , ex laudata altera ejusdem icone, huc pertinet ad *P. villosam*. De var. γ , ad quam ipse Lotum suum fruticosum syst. nat. edit. 10, pag. 1179 laudat, dubius haereo. *Priestleyam* sericeam esse crederem, nisi *Lipariae* sericeae nomine ab ipso Linnaeo in mantissa jam esset recepta. Quodsi vero eadem planta est, quam Bergius pag. 190 eodem nomine, rejectis ambabus Sebae iconibus, descripsit, ab hac nostra certe longe diversa est. Eadem autem *P. villosae* var. β apud Candollium sistit, ubi Linn. syst. nat. edit. 10, pro Houtt. pl. syst. tom. 10 legendum est. *Borbonia tomentosa* Linn. mant. pag. 438 adhuc magis obscura est, quum vel ad α vel ad β vel ad γ spectare possit.

9. **SERICEA CAND.**: erectiuscula, ramis alternis flexuosis subdeclinatis, foliis ovato-oblongis utrinque sericeo-subvillosis adultis saepe reflexis, floribus subracemoso-axillaribus, calycis laciniis tubo longioribus.

P. sericea Cand. l. c.

Liparia sericea Linn. mant. pag. 269, (in syst. nat. a cl. Candollio laudato nondum recepta).

In arenosis prope Groenekloof, altit. 300 ped. (III, E. b).

Antecedenti prior quam sequenti, calyce neglecto vix rite distingui potest.

† 10. AXILLARIS CAND.? erectiuscula, ramis alternis subdivaricatis, foliis obovatis appresse sericeis triplinerviis erectiusculis, floribus subspicato-axillaribus, calycis laciniis tubo aequalibus.

P. axillaris Cand? l. c. et mem. legum. pag. 197, tab. 32.

Borbonia axillaris Lam. encycl. III, pag. 438.

In monte Duivelsberg, altit. 1000—2000 ped. (III, A, e) leg. Ecklon.

Nescio, an planta Candolleana eadem sit ac Lamarckiana, an forte antecedentis varietas. Cl. Candollius enim suam ab antecedente vix diversam censet, nostra, quae certe et Lamarckiana, diversissima est. Illius folia infra, hujus supra medium latiora sunt; illius uninervia, hujus manifeste triplinervia. Flores illius pedunculati, hujus sessiles. Calycis lacinae apud illam tubum superant, apud hanc aequant. Petala illius, ut reliquarum omnium, lutea, hujus violacea. Legumen illius pollicare vel longius 6—8-spermum, hujus vix semipollicare 2—3-spermum.

INGENHOUSSIA.

Priestleyae species Cand.

Calyx subbilabiatus, labio inferiore tridentato superiore bifido. Vexillum rotundatum reflexum, palatho subprominulo. Alae rectae oblongae carinam aequantes. Carina recta, junior subfornicata obtusissima, adulta in petala duo libera secedens. Stamina submonadelpha (decimum uno latere reliquis ima basi junctum). Germen lineare, stylo rectiusculo, stigmate capitulato. Legumen sessile plano-compressum ovali-oblongum.

Genus, quod physico meritissimo, Priestleyi vestigia enixe secuto, dicavi, Priestleyae certe quam maxime affine, sed ca-

rina genitalibusque minime incurvatis staminibusque submonadelphis satis diversum est. Adde flores semper minores violaceos, qui in Priestleyis omnibus praeter ultimam jam ad Ingenhoussias inclinantem, semper lutei sunt.

1. VIOLACEA: ramis alternis divergentibus, foliis divaricatis lanceolato-ovatis marginibus recurvatis, utrinque cinereis appresse sericeis, spicis terminalibus foliosis, foliis floralibus calyces superantibus.

Ataquaskloof, in collinis asperis, altit. 1800 ped. (IV, A).

Flores intense violacei, carina subatropurpurea.

2. ERICIFOLIA: ramis subumbellatis erectis, foliis erectis lanceolato-oblongis marginibus recurvatis sericeis supra demum glabratis, spicis terminalibus foliosis, foliis floralibus calyces aequantibus.

Priestleya ericifolia α et β Cand. l. c. pag. 122.

β . *latifolia*: foliis brevioribus latioribusque, infimis subrotundis.

a) Klein-Draakensteen in collibus, (III, D, a); b) Kaapsche Vlakte, (III, E, b), c) in collibus prope Wynberg (III, D, b) altit. 100—600 ped.

Spicae densiflorae nunc digitales nunc abbreviatae subcapitatae. Flores dilute violacei, carina obscuriore.

3. MICRANTHA: foliis ovatis planis pilosis demum glabratis subciliatis, floribus axillaribus sessilibus sparsis foliis brevioribus.

Groote Zwartebergen in montosis asperis, altit. 2600 ped. (II, e).

Flores subalbentes, carina violacea. Folia in genere maxima, 4 lin. longa 3 lata.

4? VERTICILLATA: foliis elliptico-subovatis planis utrinque tenuissime subtomentosis, caulinis ramisque ternis verticillatis, rameis inferioribus oppositis superioribus alternis, pedunculis terminalibus axillaribusque crassis unifloris folia aequantibus.

Dutoitskloof in rupestribus montium, altit. 3000—3500 ped. (III, A, e).

Caulis erectus angularis velutinus. Folia pro more generis subcoriacea uninervia vix 4 lin. longa, 2 lata. Pedunculi crassiores. Calyx velutinus subaequalis, dentibus acutiusculis, tubo ovato 10-nervio ad basin non intruso, sed circumscisso podocarpium annuli ad instar ambiens (ut in *Priestleya myrtifolia*). Legumen erectiusculum rectum utrinque oblique acutatum pubescens sub-4-spermum, lineas 15 longum, 3 latum. Genus, floribus ignotis, incertum, sed nisi novum, vix aliud quam vel hoc vel antecedens.

* 5. SPINOSA: ramis divaricatis spinosis, foliis ovato-ellipticis margine subincurvato, utrinque sericeo-pubescentibus, demum subglabratis, pedunculis axillaribus capillaceis bifloris foliis multo longioribus.

In montibus inter Hexrivier et Draai, altit. 2800 ped. (II, f).

Ulex capensis Linn. spec. plant. pag. 1046, quam ad *Indigoferam depressam* alii, alii ad *Mundiam spinosam* laudant, forsitan hujus loci est. Flores albentes, carina ex violaceo rubente.

6. TORTILIS: foliis lanceolatis contortis margine incurvato, supra sericeis subtus demum glabratis laevibus, spicis terminalibus foliosis subcapitatis.

Sarcophyllum gnidioides Willd.? herbar. nr. 13229.

Dutoitskloof in montosis asperis, altit. 2800 ped. (III, A, e).

Flores albentes, carina purpurascente. Vagina staminea demum fissilis. Folia supra hirsuta subtus demum glabrata quin etiam nitidula tam huic quam sequenti speciei habitum singularem impertiunt, nullo tamen comitatum caractere, quo ab *Ingenhoussiis* recederent.

7. RUGOSA: foliis angustissime lanceolatis involutis supra hirsutis apiceque subbarbatis, subtus glabris transversim rugulosis, floribus axillaribus sessilibus congestis sub apice ramulorum.

Sarcophyllum carnosum Willd.! herbar. nr. 13228.

Klein - Draakensteen in collibus saxosis, altit. 800 ped.

(III, D, a).

Flores videntur pallide flavescentes, carina violacea.

CROTALARIA Linn.

§. 1. Foliis simplicibus exstipulatis, floribus racemosis.

1. SPARTIOIDES CAND. prodr. II, pag. 128.

In collibus subarenosis prope Verleptpram ad fluvium Garip, altit. 400 ped. (III, B).

Erecta, ramis subsimplicibus virgatis in racemos exeuntibus. Folia inferiora lanceolato-lineararia, media exacte lineararia, suprema complicato-subulata. Bractea sub pedicello parva, duaeque minores plerumque in medio pedicello, nonnunquam deficientes.

§. 2. Foliis trifoliatis, floribus racemosis.

2. CAPENSIS JACQ. hort. vindob. III (1776), tab. 64. Thunb. fl. cap. pag. 572.

C. incanescens Linn. fil. suppl. (1781), pag. 323. Willd. spec. plant. III, pag. 984.

C. arborescens Lam. encycl. II (1790), pag. 191. Cand. l. c. pag. 130.

β. *obscura*: foliis saturate viridibus.

Ad fluvium inter Gekan et Basche, altit. 2000 ped. (V, b).

Var. β. in nemorosis prope Enon altit. 800 ped. (V, a). Eandem formam in suburbanis legit Ecklon.

3. MOLLIS: stipulis deciduis bracteisque subsetaceis, foliis trifoliatis, foliolis obovatis subtus subvillosis - canescentibus, racemis terminalibus, calycibus ramisque subvillosis, carina glaberrima, leguminibus erectiusculis subvillosis.

In collibus siccis saxosis ad fluvium Garip altit. 200 ped., et in insulis ad ejusdem ostia (III, B).

Inseratur pone *C. incanam*. Radix perpendicularis simpliciuscula, cortice viridi-flavescente. Caulis subherbaceus erectus brevis ad fundum ramosissimus, ramis procumbentibus vel ascendentibus effusis. Racemi vix digitum longi flexuoso-erecti. Bracteae minutae patentes, inferiores floribus destitutae. Flores nutantes lutei, iis *C. incanae* paulo majores, carinae rostro contorto. Legumina erectiuscula brevissime stipitata 9 lineas longa,

Tota planta, exceptis petalis staminibus paginaque foliolorum superiore pubescenti-subvillosa canescens.

4. PURPUREA VENT. — Cand. l. c. pag. 133.

a) In nemorosis prope George, altit. 500 ped. (IV, C, b);

b) foliolis acutiusculis, in rupestribus ad montem prope Gna-denthal, altit. 1500—2500 ped. (IV, A).

Calycis lacinae tubo breviores obtusiusculae. Variat foliis obtusis retusis et acutiusculis.

5. MACROCARPA: stipulis bracteisque subulatis, foliis trifoliatis, foliolis obovatis acutis supra glaberrimis subtus puberulis, racemis terminalibus, calycis laciniis lanceolatis acuminatis tubo triplo longioribus, leguminibus longe stipitatis pubescentibus.

In uliginosis inter Omcomas et Omblas, altit. 400 ped.

(V, c).

Antecedenti simillima. Diversa calycis minutissime pubescentis nec aureo-nitentis laciniis elongatis, leguminibusque pubescentibus longe stipitatis.

6. GLOBIFERA: foliis exstipulatis trifoliatis, foliolis oblongo-cuneatis petiolo longioribus, racemis terminalibus, calycis puberuli laciniis acutiusculis, leguminibus pendulis brevissime stipitatis pisiformibus puberulis.

a. *glabra*: foliis utrinque glabris, calycis laciniis subtriangularibus.

β. *pubescens*: foliis subtus puberulis, calycis laciniis sublanceolatis.

a) In graminosis vallis inter Omsamwubo et Omsamcaba, altit. 1200 ped.; b) in colle ad fluvium Omsamcaba altit. 600 ped. (V, b).

Var. β. in graminosis prope Port Natal, altit. 300 ped. (V, c).

Varietates allatae inter se simillimae. Posterioris autem fructus ignotus.

7. LANCEOLATA: foliis exstipulatis trifoliatis, foliolis lanceolatis longe acuminatis supra glabris subtus puberulis, racemis terminalibus virgatis, calycis dentibus acutissimis, leguminibus pendulis subsessilibus, rectiusculis subteretibus puberulis.

In graminosis humidis inter fluvios Omsamculo et Omcomas, altit. 400 ped. (V, c).

Caulis ramique erecti virgati profunde sulcati pubescentes. Folia remota, petiolis foliolisque lateralibus subaequalibus, intermedio longiori 2—4-pollicari. Flores mediocres luteoli rubrostriati, carinae rostro brevi sed acutissimo. Legumina nigricantia lineas 15 longa, 2 lata, sutura superiore leviter intrusa.

8. ASPALATHOIDES LAM.? — Cand. l. c. pag. 134.

Onder-Bokkeveld ad fluvium Grasberggrivier, altit. 2400 ped. (III, A, c).

Haec mea num revera eadem ac Lamarckiana? Meae caulis ramique lignosi. Folia trifoliata brevissime petiolata, foliolis cuneatis subretusis puberulis lineas 2 longis, 1 latis. Racemi terminales pauciflori. Flores non vidi. Calyx sub fructu persistens puberulus quinquentatus, tubo decemnervio dentibus acuminatis. Legumen brevissime stipitatum patens oblongum glabratum fuscescens semipollicare.

9. OBSCURA CAND. l. c.

a. chrysotricha: pilis subauratis.

β. argyrotricha: pilis albidis.

Var. *a. a*) Ado (V, a), *b*) Basche, et *c*) Omsamwubo (V, b), in graminosis altit. 600—1000 ped.

Var. *β*. Botram in collibus saxosis altit. 1800 ped. (V, a).

Species distinctissima. Pili caulis patentissimi rigiduli. Stipulae lineares persistentes. Racemi oppositifolii longe pedunculati pauciflori. Calyx profunde quinquefidus pilosus, laciniis oblongis obtusissimis corollam aequantibus.

10. EFFUSA: herbacea glabriuscula glaucescens, foliis trifoliatis, foliolis obovatis, racemis terminalibus et oppositifoliis paucifloris, calycis laciniis oblongo-lanceolatis corollam dimidiam aequantibus, leguminibus breve stipitatis oblongis glabriusculis.

In arenosis *a*) prope Krakkeelskraal, altit. 3500 ped. (III, A, a), *b*) prope Karakuis, altit. 2000 ped. (III, B), *c*) in collibus siccis ad fluvium Groenrivier, altit. 800 ped. (III, C), *d*) in graminosis prope Paarl; *e*) in collibus prope Groenekloof, altit. 500 ped. (III, D, a).

In speciminibus maxime effusis et forsan in umbra natis pedunculi saepe omnes oppositifolii subuniflori.

§. 3. Foliis trifoliatis vel rarissime simplicibus, pedunculis unifloris vel subbifloris, effusae vel procumbentes.

† 11. PERPLEXA: foliis trifoliatis, foliolis obovatis, summis sublinearibus subtus puberulis, pedunculis oppositifoliis elongatis uni vel bifloris, floribus subsessilibus, leguminibus subsessilibus obovato-oblongis, stylo caduco.

In saxosis montis Leeuwenberg altit. 500—1000 ped. (III, D. b), legit Ecklon.

Flores parvi. Legumen lineas 3—4 longum.

12. ANGUSTISSIMA: foliis trifoliatis longe petiolatis, foliolis infimorum cuneiformibus, superiorum angustissime linearibus subtus puberulis, pedunculis oppositifoliis elongatis unifloris, leguminibus subsessilibus oblongis, stylo glabro complanato persistente coronatis.

In collibus arenosis prope Ebenezar, altit. 300 ped. (III, E, a).

Flores majores incarnati. Legumen lineas 9—10 longum.

13. SPARSIFLORA: sericeo-canescens, foliis trifoliatis foliolis obovatis, pedunculis oppositifoliis petiolo brevioribus, leguminibus obovatis calyce parum longioribus sericeo-argenteis.

Ad ripam fluvii Garip prope Verleptpram, altit. 300 ped. (III, B).

14. LENTICULA: prostrata, foliis trifoliatis, foliolis obovatis appresse piloso-pubescentibus, floribus oppositifoliis subsessilibus, leguminibus oblongis compressiusculis subsessilibus calyce duplo longioribus.

In planitie inter Riviertje et Nieuwkerkshoogte montium Sneeuwbergen, altit. 3800 ped. (I, c).

Habitus Capnitidis, novi generis infra describendi, legumenque magis compressum quam ullius alius Crotalariae mihi notae. Sed carina angulo fere recto longe rostrata una cum

staminibus monadelphis ant Crotalariis inserere ant peculiare genus condere cogunt.

15. **DIVERSIFOLIA**: sericeo - canescens, foliis trifoliatis unifoliatisve subcuneato-oblongis, pedunculis oppositifoliis unifloris petiolo vix longioribus, leguminibus oblongis compressiusculis subsessilibus calyce duplo longioribus.

a. trifoliata.

β. unifoliata: foliolo singulo cum petiolo articulato.

Var. *α. a)* ad ripam fluvii Basche altit. 500 ped. (V, b); *b)* in collibus prope Klein Bruintjeshoogte, altit. 2800 ped. (V, a); *c)* in planitie graminosa prope Schiloh, altit. 3400 ped. (I, a).

Var. *β.* promiscue lecta cum var. *α* prope Schiloh.

Species quoad formas foliorum maxime versatilis, sed habitu semper sibi constans, ita ut specimina unifoliata trifoliatis mixta primo aspectu vix distinguantur. Calyx profunde quinquefidus corollam luteam subaequans. Flores semel tres in eodem pedunculo umbellatos observavi, sed in eodem specimine pedunculos reliquos unifloros. Itaque ad sequentis paragraphi species vergit, quibuscum etiam stylo glaberrimo convenit. Legumen vero omnino antecedentis.

§. 4. Foliis trifoliatis rariusve quinatis, stipula altera minore vel obsoleta, floribus umbellatis, stylo glabro, effusae vel procumbentes.

16. **QUINATA**: foliis quinatis, foliolis cuneato-linearibus subretusis subtus pubescentibus, corymbis subumbellatis oppositifoliis 5—10-floris, pedunculis pedicellisque calyce vix longioribus, calycis laciniis tubo longioribus, corollam subaequantibus.

In planitie prope Krakkeelskraal, altit. 3500 ped. (III, A, a).

Legumina jam semimatura turgida oblique obovata calycem vix excedentia albido-pubescentia.

17. **MICRANTHA**: foliis trifoliatis, foliolis oblongo-cuneatis retusis subtus puberulis, umbellis oppositifoliis longe pedunculatis multifloris, calycis laciniis tubum aequantibus corolla brevioribus, leguminibus subglobosis calyce vix duplo longioribus.

Roodezand, in fruticetis collinis, altit. 500 ped. (IV, B, b).

18. **OXYPTERA**: foliis trifoliatis, foliolis oblongo-obovatis emarginatis utrinque pubescentibus, umbellis oppositifoliis longe pedunculatis subquinquefloris, calycis dentibus acutis.

Klein Draakensteen in collibus altit. 800 ped. (III, D, a).

HYPOCALYPTUS Thunb.

1. **OBCORDATUS THUNB.** — Cand. prodr. II, pag. 135.

a) Cederbergen in rupestribus, altit. 2800—3500 ped. (III, A, d); b) Dutoitskloof, altit. 2000 ped. (III, A, e).

VIBORGIA Thunb.

Calyx oblique campanulatus quinquedentatus sinibus rotundatis petalorum unguis vix aequans. Vexillum ovatum deflexum carinam subaequans. Alae carina breviores. Carina erecta fornicato-subgaleata acutiuscula. Stamina monadelphica. Germen stipitatum sub sexovulatum stylusque filiformis glaber. Legumen stipitatum compressum varie alatum coriaceum vel saepius membranaceum 1—2-spermum.

Frutices humiles trifoliati, foliis inferioribus saepe fasciculatis. Racemi terminales, rachi ramulisque saepe subspinosi. Flores lutei, raro subrubentes.

Species ex fructu facillime, sine fructu difficillime discriminantur. Quam ob rem specierum hic recensendarum plurimae nondum satis confirmatae.

1. **FLEXUOSA**: glaberrima, ramis racemisque erectis longissimis flexuosis, foliis glaucescentibus, foliolis lineari-cuneatis petiolo longioribus.

Kamiesbergen in rupestribus, altit. 4000 ped. (III, A, a).

2. **FLORIBUNDA**: leguminibus coriaceis ellipticis transverse rugosis, supra anguste alatis, ramis racemisque erectis elongatis strictis puberulis, foliis glaucescentibus, foliolis oblongo-cuneatis subretusis petiolo subaequalibus subtus puberulis.

Crotalaria floribunda Loddig. bot. cabin. tab. 509.

V. obcordata Cand. prodr. II, pag. 136. (excl. Bergii et Thunbergii synonymis).

a) Uienvalei in rupestribus siccis, altit. 2400 ped.; *b)* in montibus arenariis inter Biedow et Pakhuis, altit. 2200 ped. (III, A, d); *c)* in collinis argillosis prope Riebekskasteel altit. 800 ped.; *d)* in arenosis ad fluvium Bergrivier, altit. 400 ped. (III, D, a).

Ad hanc speciem cl. Candollius generis characterem exarasse videtur. Sed neque Bergium neque Thunbergium eandem eodem nomine intellexisse, ex eorum descriptionibus facile colligitur.

3. LANCEOLATA: subsericeo-canescens, ramis racemisque patulis rigidulis, foliolis cuneato-lanceolatis acutis petiolo longioribus.

a) Mierenkasteel et Kasparskloof in saxosis siccis montium, altit. 1800 ped. (III, C); *b)* pilis saepe magis sparsis magisque virescens, in monte prope Uitkomst, altit. 2000 ped. (III, C).

Aut variat foliolis majoribus (saepe 8 lineas longis) subacuminatis magisque sericeo-canescens, et minoribus (saepe vix 3 lineas longis) obtusiusculis subvirentibus minusque nitentibus, aut plures complectitur species absque fructu sibi simillimas atque ita confluentes, ut ne varietates quidem distinguere auderes.

4. OBLONGATA: glabra leguminibus obovato-oblongis membranaceis supra late inferne anguste alatis, ramis racemisque erecto-patulis subincurvatis, foliolis oblongo-cuneatis petiolo aequalibus.

β? *cuspidata*: foliolis angustioribus cuspidatis, (an distincta species? fructus desunt).

In planitie subarenosa prope Roodepan, altit. 300 ped. (III, E, b).

Var. *β*. in collinis inter saxa arenaria prope Kasparskloof, altit. 1800 ped. (III, C).

5. TETRAPTERA: glaberrima, leguminibus orbiculatis membranaceis circumcirca late alatis, ala angustiore accessoria utrinque in mediis valvulis, ramis racemisque patentibus subspine-

scentibus, foliis glaucescentibus, foliolis oblongo-cuneatis petiolum aequantibus, foliis supremis brevissime petiolatis.

V. fusca Thunb.? flor. capens. pag. 560.

a) In arenosis ad Bergrivier, altit. 400 ped.; *b)* in collinis argillosis prope Riebekskasteel, altit. 800 ped. (III, D, a); *c)* in collibus arenosis ad Jakkalsrivier, altit. 800 ped. (III, E, a); *d)* inter rupes ad montem Piquetberg, altit. 2000 ped. (III, A, d); *e)* in collibus siccis prope Mierenkasteel, altit. 1800 ped. (III, C).

Thunbergii synonymon valde dubium. Aequo jure ad quamlibet speciem foliis glabris paulo majoribus trahi posset. Huc spectare non nisi ex loco natali suspicor.

6. HETEROCLADOS: glaberrima, leguminibus subrotundo-ellipticis membranaceis circumcirca alatis, ramis divaricatis, aliis brevibus rectis spinosis, aliis racemisque elongatis tenuissimis flexuosis subulatis, foliis pallidis, foliolis obovatis subretusis, calycibus subquinquefidis.

a) In collibus prope Vierentwintig-Rivier, altit. 500 ped. (III, D, a); *b)* prope Zwartbastkraal, altit. 800 ped. (II, E, a).

7. MONOPTERA: glabriuscula, leguminibus subrotundo-ellipticis membranaceis supra late alatis subtus apteris, ramis racemisque patentibus subspinosis, foliis pallidis, foliolis oblongo-cuneatis subtus puberulis petiolo brevioribus.

In collibus saxosis ad radices montium Kooperbergen, altit. 2000 ped. (III, B).

An sequentis varietas glabriuscula et tenuior?

8. SERICEA THUNB: ramis racemisque abbreviatis subdivaricatis spinescentibus, foliis sericeo-argenteis, foliolis oblongo-cuneatis petiolo subaequalibus.

a) Wupperthal, altit. 1800 ped. (III, A, d); *b)* in planitie arenosa prope Groenekloof, altit. 200 ped. (III, E, b).

Antecedentibus robustior. Folia postinde, colore nitoreque mutatis, sordide fuscescunt.

9. INCURVATA: glaberrima, ramis racemisque incurvatis subspinescentibus, foliis glaucis, foliolis obcordatis petiolo brevissimo duplo longioribus.

Prope Karakuis (Bezondermaid Hollandorum), altit. 2000 ped. (III, B).

Foliola lineas 2 longa, 1 lata.

† 10. GRANDIFLORA: ramis racemisque incurvatis sericeo-albicantibus, foliis brevissime petiolatis glaucescentibus, foliolis oblongo-obcordatis glabriusculis.

Inter Breederivier et Duivenhoeksrivier legit Beil.

Prae reliquis robusta. Foliola paulo majora ac praecedentis. Flores in genere maximi subrubentes, calycibus subquinquefidis. Germen brevissime stipitatum. An revera hujus generis? Cujus tamen habitum prae se fert.

* 11. PARVIFOLIA: glabra, ramis racemisque patentibus subincurvatis, foliis laete virentibus brevissime petiolatis, foliolis oblongo-cuneatis.

(III, D, a)?

Folia in genere minima; foliola lineam longa, vix semilineam lata. Flores subrubentes, ut in praecedente, praeterea et forma et magnitudine iis priorum simillimi.

S T I Z A.

Calyx oblique campanulatus breve quinquentatus. Vexillum ovatum reflexum carinam subaequans. Alae carina breviores. Carina erecta subgaleato-fornicata truncata. Stamina monadelphia. Legumen compressum oblongum subfalcatum polyspermum.

Fruticuli rigidi ramosissimi, ramis subdivaricatis spina tenui flavescente terminatis. Folia pauca decidua unifoliata, foliolo cuneiformi. Flores sub apice ramulorum spinosorum racemosi.

Habitus Genistae Scorpii. Flores fere Viborgiae. — Nomen factum ex verbo $\sigma\tau\lambda\zeta\omega$, pungo, ad modum Brizae, quod a verbo $\beta\epsilon\lambda\zeta\omega$, Ericae, quod ab $\epsilon\rho\epsilon\iota\zeta\omega$ derivo.

1. ERIOLOBA: velutino-canescens, leguminibus albo-tomentosis.

Lebeckia pungens Thunb. fl. capens. pag. 561.

In collibus saxosis prope Klaarstroom ad radices montium Groote Zwartebergen, altit. 2400 ped. (II, e).

2. **PSILOLOBA**: virescens glabriuscula, leguminibus glaberrimis.

(III, A, c)?

SARCOPHYLLUM Thunb.

Genus inter Viborgiam et Lebeckiam intermedium. Ab illo praeter habitum differt calyce non solum dentato sed quinquefido, lacinia impari angustiore; ab hoc legumine non tereti, sed compresso ad suturam superiorem subalato. Praeterea leguminis forma ob frequentem seminum nunc infimorum nunc supremorum abortum valde variabilis, quoniam, ubi semina non perficiuntur, valvulae minus dilatari solent.

Folia longe petiolata unifoliata, foliolo subulato petioli processum simulante, qualia apud Lebeckiam reperiemus. Racemi terminales.

1. **CARNOSUM THUNB.**: calycis laciniis acutis tubo vix aequalibus. — Cand. prodr. II, pag. 137.

In arenosis *a)* prope Zwartbastkraal et *b)* Ebenezar (III, E, a), *c)* ad fluvium Bergrivier (III, D, a), *d)* inter Konstantia et Steenberg (III, D, b), omnibus his locis altit. 400—800 ped.; *e)* Onder-Bokkeveld, altit. 2400 ped. (III, A, c); *f)* ad montem prope Dutoitskloof, altit. 2500 ped. (III, A, e).

* 2. **GRANDIFLORUM**: calycis laciniis acuminatis tubo sublongioribus.

In collibus arenosis inter Jakkalsrivier et Olifantrivier, altit. 1200 ped. (III, A, d); *b)* in monte Giftberg, altit. 2500 ped. (III, A, c); *c)* Ezelsfontein, altit. 4000 ped. (III, A, a).

Antecedenti simillimum; sed folia longiora 3—4 (illius 1—2) pollices longa, flores duplo majores et calyx diversus. Legumen non vidi.

LEBECKIA Thunb.

§. 1. Foliis simplicibus seu phyllodiis nudis angustis.

1. LINEARIFOLIA: pubescenti-canescens, foliis linearibus canaliculatis basi angustatis calyce quinquedentato petalisque extus sericeis.

Ad ripam fluvii Garip prope Verleptpraam, altit. 300 ped. (III, B).

2. PLUKENETIANA: glabra, foliis lineari-filiformibus subulatis, adultis reflexis, calyce quinquefido petalisque glabris.

Plukenet. tab. 424, fig. 1. (bona).

Genista sepiaria Lam. encycl. II, pag. 619. (excell. hic et apud sequentes synn. plurr.)

Lebeckia sepiaria Willd. spec. plant. III, pag. 947; Cand. prodr. II, pag. 137; mihi quondam in herbario Ecklonis.

Ad Hexrivier, altit. 1000 ped. (IV, B, b) leg. Drège; in valle prope Van-Kampsbaai, altit. 500—1000 ped. leg. Ecklon.

Spartium sepiarium Linn. amoen-acad. VI pag. 91 et spec. plant. pag. 995, plantaeque a variis auctoribus pro eo habitae, neque inter se neque cum hac nostra convenire videntur. Planta Linnaeana, ut ex Linnaei observatione ad suum *Spartium contaminatum* in mant. pag. 268 constat, diadelphica est, foliis superioribus tantum filiformibus, inferioribus latioribus, nostra aeque ac *Spartium sepiarium* Berg. capens. pag. 196 monadelphica est, foliis omnibus filiformibus vel angustissime linearibus subulatis. Icon Plukenetii primum a Bergio laudata quin ad nostram plantam pertineat dubitari nequit; sed Bergius suae plantae caulem arboreum tribuit, nostrae vix fruticulosus est, ut reliquas taceam differentias. *Lebeckia sepiaria* Thunb. fl. capens. pag. 561 ad nostram trahi posset, nisi folia in diagnosi filiformia in descriptione lata dicerentur; unde colligerem, folia inferiora superioribus latiora esse, ut in planta Linnaeana. Quas dubitationes quo minus solvere poteram, eo magis, rejecto ambiguo *Lebeckiae sepiariae* nomine, non augere oportebat.

§. 2. Foliis unifoliatis, foliolo petioloque subconformibus.

3. CONTAMINATA THUNB.: glaucescens, foliis erectis unifoliatis, foliolo lineari-filiformi subulato, racemi rachi sulcata, leguminibus declinatis. — Cand. l. c. pag. 136.

Wilde Vigelette colonis.

In collinis *a)* prope Paarl, *b)* Riebekskasteel, *c)* ad montem Piquetberg, altit. 400—800 ped. (III, D, a).

4. AMBIGUA: glaucescens, foliis erectis unifoliatis, foliolo lineari-filiformi subulato, racemi rachi laevi, leguminibus subturulosis erectiusculis.

a) In asperis prope Uienvalei altit. 2400 ped. (III, A, c);

b) in collibus maritimis prope Saldanhabaai (III, E, b) et

c) prope Zwartkopsrivier altit. 100 ped. (IV, C, c).

Antecedenti simillima, sed caulis tenuior, folia paulo crassiora et saepe longiora, flores duplo minores circiter 3 lineas longi (illius semipollicares nisi majores), ne supra jam dicta repetam.

§. 3. Foliis trifoliatis.

5. DECUTIENS: sericeo-pubescens vel inferne glabrata, foliis trifoliatis, foliolis angustissime linearibus deciduis, calycibus subquinquefidis, vexillo extus pubescente.

a. *canescens*: tota sericeo-pubescens.

β. *glabrata*: ad apices sericeo-pubescens.

Var. *a.* ad ostia fluvii Garip (III, B); *b)* in collibus arenosis prope Heerenlogement, altit. 800 ped. (III, E, a).

Var. *β.* *a)* Karroo inter Goedemanskraal et Kaus, altit. 2000 ped. et *b)* colles prope Noagas, altit. 1800 ped. (III, B).

6. MULTIFLORA: sericeo-canescens, foliis trifoliatis, foliolis linearibus, calyce tubuloso quinquentato, petalis glabris.

a) In collibus arenosis prope Heerenlogement, altit. 800 ped. (III, E, a); *b)* in Karroo ad Olifantrivier, altit. 500 ped.;

c) inter Holrivier et Mierenkasteel, altit. 1000 ped. (III, C).

7. FLEXUOSA: sericeo-pubescens, foliis trifoliatis elongatis, foliolis linearibus utrinque attenuatis, calycibus amplis quinquentatis, petalis extus pubescentibus.

a) In rupestribus prope Kwekrivier, altit. 700 ped. (III, C); *b)* ad Zilverfontein, altit. 2000 ped. (III, B); *c)* Platberg, altit. 3300 ped. (III, A, b).

L. sericea Thunb. aequa fere juris specie vel ad hanc vel ad multifloram vel ad decutientem trahi posset.

8. ARMATA THUNB.? caule glabro fusco, ramulis spinoscentibus petiolisque sericeo-candicantibus, foliis trifoliatis, foliolis oblongo-cuneatis puberulis, calyce subquinquefido, vexillo extus pubescente. — Cand. l. c. pag. 137.

Ad rupes Driekoppe, altit. 2500 ped. (II, f.)

Lebeckia Scorpius, quam cl. Steudel Thunbergio tribuit et cl. Candollius ex Thunbergii prodromo ad *L. armatam* laudat, nullibi apud Thunbergium occurrit.

9. CINEREA: subtomentoso-canescens, ramis rigidis incurvatis, foliis trifoliatis, foliolis oblongo-cuneatis, racemis spicaeformibus, calyce tubuloso-quinquefido petalis extus hirsutis.

An *L. densa* Cand.? l. c. (sed non Thunberg. ob ramos minime glabros et foliola linea multo longiora).

In collibus prope Noagas, altit. 2000 ped., et prope Aris ad fluvium Garip, altit. 150 ped. (III, B).

Et habitu et caractere distinctissima. Rami saepe ipso caule crassiores. Folia rara, foliolis 3—4 lineas longis, petiolo subaequalibus. Pedunculi rachi ita appressi, ut flores sessiles videantur.

10. MARGINATA: subsericeo-canescens, foliis trifoliatis, foliolis spathulatis marginatis, racemis brevibus laxis, calyce quinquefido, vexillo medio extus piloso.

(III, B).

11. DECIPIENS: sericeo-canescens, foliis trifoliatis, foliolis sublineari-spathulatis, calyce amplo quinquedentato sericeo-pubescente, dentibus acuminatis, vexillo carinaque apice extus pubescentibus.

Karoo prope Mierenkasteel, altit. 800—1600 ped. (III, C).

Sequenti simillima, sed omnibus partibus minor. Foliola vix 2 lineas lata, quae sequenti duplo latiora. Flores circiter 5 lineas longa, qui illi subpollicares.

12. **CYTISOIDES THUNB.**: sericeo - canescens, foliis trifoliatis, foliolis subcuneato - oblongis, calyce amplo quinquedentato glabro subcolorato, dentibus obtusiusculis, vexillo carinaque apice extus pubescentibus. — Cand. l. c.

a) In collibus prope Riebeksasteel, altit. 800 ped. (III, D, a); *b)* Wupperthal, altit. 1600 ped. (III, A, d).

DICHILUS Cand.

1. **PATENS**: puberulus, ramis patulis, foliis caulinis alternis rameis oppositis, foliolis obovatis, floribus solitariis alternis subaxillaribus, pedunculo superne geniculato, calyce profunde bilabiato alas subaequante.

In rupestribus siccis ad Vischrivier, altit. 400 ped. (V, a).

Planta singularis foliis rameis oppositis plerumque tamen paulo inaequalibus, pedunculisque vix rite axillaribus, sed potius pone alterius petioli latus positis. Flores omnino *D. lebeckioidis* Cand.

2. **STRICTUS**: pubescenti - subcanescens, ramulis erectis, foliis omnibus alternis, foliolis linearibus, racemis terminalibus paucifloris subpaniculatis, calyce vix ad medium bilabiato alis multo brevioribus.

In praeruptis montium Witbergen altit. 6400—7000 ped. (I, a).

Habitus *D. lebeckioidis* Cand.

LODDIGESIA Sims.

1. OXALIDIFOLIA SIMS.

Hujus varietas memoratu digna et forsan species altera est:

β. rostrata: legumine duplo angustiori longe rostrato (floribus ignotis).

a) Ad margines sylvarum prope George, altit. 500 ped. (IV, C, b); *b)* prope Sparrbosch et *c)* prope Gnadenthal in fruticetis altit. 800—1800 ped. (IV, A).

Var. *β. promiscue* cum priori prope Gnadenthal.

ASPALATHUS Linn.

§. 1. Planifoliae stipulares: foliis petiolatis stipulatis trifoliatis planis.

1. LANCEOLATA: foliis petiolatis trifoliatis, foliolis stipulisque conformibus lineari-lanceolatis piloso-ciliatis, racemis subcapitatis multifloris, petalis glaberrimis.

Witbergen, in collibus graminosis prope Leeuwensrput, alt. 4500 ped. (I, a).

Foliola subpollicaria sesquilineam lata. Calyx bilabiatus $\frac{4}{1}$. Flores lutei. Legumen junius pubescens.

2. HOLOSERICEA: holosericea, foliis petiolatis trifoliatis, foliolis stipulisque subconformibus spathulato-cuneatis apiculatis, capitulis terminalibus involucretis, bracteis late ovatis calyces superantibus, petalis extus villosis intus puberulis.

In collibus graminosis a) prope Omgaziana et b) Morley, alt. 1000—1500 ped. (V, b).

Sequenti forsitan nimis propinqua; sed bracteis magnis in orbem collectis adeo insignis, ut eam subjungere non ausim. Accedit, quod vestitus magis sericeus, foliola plerumque longiora (6—8 lin.), rami subfastigiati (qui sequentis sensim decrescere solent), capitula minora, calyces paulo breviores sunt.

3. CUNEATA: sericea, foliis petiolatis trifoliatis stipulisque subconformibus cuneatis apiculatis, spicis terminalibus subcapitatis, bracteis calyce brevioribus, petalis extus villosis intus pubescentibus.

a. *retusa*: foliolis latioribus planiusculis subretusis.

β. *hamulosa*: foliis angustioribus complicatis apice recurvatis.

In graminosis a) inter Buffelrivier et Key, b) prope Komga, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

Var. β. a) Assagaybosch, alt. 1200 ped. (V, a); b) prope Gekau, alt. 800 ped. (V, b); c) Zuurebergen, alt. 2000—3000 ped. (V, a).

Foliola 2—4 lineas longa. Flores in var. a. ut in specie praecedente, albentes, in var. β. flavescentes. Legumen brevissimum turgidulum hirsutum.

4. **PULCHELLA**: appresso-sericea, foliis petiolatis trifoliatis, foliolis stipulisque subconformibus lineari-subcuneatis complicatis subapiculato-recurvatis, capitulis terminalibus subumbellatis involuocratis, bracteis calyce brevioribus, vexillo carinaque extus villosis.

In montosis rupestribus a) Katberg, altit. 4000 ped.,

b) Stromberg alt. 5000—6000 ped. (I, a).

5. **TRICHODES**: piloso-sericea, foliis petiolatis trifoliatis, foliolis stipulisque subconformibus lanceolatis, capitulis terminalibus subumbellatis involuocratis, bracteis lanceolatis calyces subaequantibus vexillo carinaque extus hirsutis.

In summo monte Katberg, alt. 5000 ped. (I, a).

Hujus et antecedentis foliola 2—3 lineas longa, floresque caerulei.

§. 2. **Planifoliae viminales**: foliis petiolatis exstipulatis trifoliatis planis.

6. **VIMINEA**: canescenti-hirsuta, foliis petiolatis trifoliatis exstipulatis, foliolis oblongo-cuneatis obtusis mucronatis, spicis terminalibus elongatis, bracteis lanceolatis acuminatis calycem superantibus, vexillo extus hirsuto.

In collibus graminosis inter Omsamcabo et Omtendo, alt. 300—800 ped. (V, c).

Caules ramique erecti virgati subsesquipedales. Stipulae vix ullae, sed nonnunquam folia bina petiolata trifoliata minutissima ad latus foliorum principalium. Calyx subcampanulatus, inaequaliter quinquentatus. Petala, ni fallor ex badio et violaceo varia, vexillo ad basin, carina ad apicem obscurioribus. Alae carinaque subaequales vexillo minores.

§. 3. **Planifoliae lotoideae**: foliis sessilibus ternatis fasciculatisve planis, floribus sessilibus vel brevius pedunculatis.

7. **INVOLUCRATA**: foliis inferioribus fasciculatis superioribus ternatis lanceolatis recurvatis mucronatis glabriusculis, capitulis terminalibus involuocratis, bracteis latissimis basi ciliatis, vexillo pubescente.

In saxosis montium prope Winterhoek, alt. 800—1600 ped. (III, A, e).

Frutex rigidulus vage ramosus. Folia supra nitidula, subtus subnervosa saepe subundulata, superiora sensim majora. Bractee haud raro semipollicares, latitudine longitudinem subaequante. Flores videntur luteoli. Totius plantae color pallide virens.

8. POLYCEPHALA: foliis plerisque ternatis obovatis acutis recurvato-mucronatis hirsutis, capitulis terminalibus lateralibusque, bracteis obovatis flores aequantibus, calycis laciniis mucronatis petala aequantibus, impari obtusa, reliquis acuminatis, petalis extus hirsutis.

β. pauciflora: capitulis depauperatis, 2—4-floris.

Cederbergen, in rupestribus inter Honigvlei et Boschkloof, alt. 2800—4000 ped. (III, A, d).

Var. *β.* prope Ezelsbank, alt. 3800 ped. (III, A, d).

Flores lutei. Bractee subsericeae.

9. CYTISOIDES LAM.: foliis ternatis obovato-lanceolatis recurvatis mucronatis velutinis, lateralibus falcatis, racemis subcapitatis terminalibus lateralibusque, calycis laciniis omnibus acuminatis, petalis extus hirsutis. — Cand. prodr. II, pag. 143.

In montibus Dutoitskloof *a*) locis rupestribus humidiusculis alt. 4000 ped., *b*) in jugis montium siccis saxosis, alt. 2000—3000 ped. (III, A, e).

10. VENOSA: foliis ternatis obovato-lanceolatis recurvatis mucronatis venulosis glabris, supremis ciliatis, capitulis terminalibus et sublateralibus, calycibus petalisque vix longioribus lanatis.

Giftberg inter saxa, alt. 1800 ped. (III, A, c).

A. rugosam Thunb. esse suspicor, etsi descriptio minime quadret.

† 11. ANTHYLLOIDES LINN.? foliis ternatis lanceolato-oblongis muticis trinerviis glabris, supremis ciliatis, capitulis terminalibus foliis obvallatis, petalis omnibus extus hirsutis. —

Cand. l. c. pag. 142.

Elim (IV, C, a) leg. Ecklon.

Eidem speciei Thunbergius folia trinervia tribuit, quae nulla alia hujus sectionis species magis perspicua praebet. Sed vexillum, non petala omnia, pubescere addit, quare non sine dubio nomine Linnaeano usus sum. Olim in herbario Ecklonis nervatam dixeram.

12. LINARIFOLIA CAND.: foliis ternatis linearibus acutis mucronatis tenuissime pubescentibus, capitulis terminalibus, bracteis oblongo-lanceolatis villosis, vexillo carinaque pubescentibus calycem aequantibus. — Cand. l. c. (ubi calami errore legitur: linearifolia).

Aster linarifolius Burm. prodr. capens. pag. 27. (auctore Cand.)

Anthyllis linifolia Linn. mant. pag. 265.

a) Franschehoek, in collibus arenosis ad Bergrivier, alt. 500 ped. (III, D, a); b) in montosis rupestribus Nieuwekloof; c) Dutoitskloof, alt. 1200 — 2000 ped. (III, A, e).

13. PROCUMBENS: caule procumbente, foliis ternatis linearilanceolatis muticis hirsutis, spicis terminalibus laxiusculis, calycis laciniis patulis petalisque hirsutis.

β. *squarrosa*: calycis laciniis reflexo-squarrosis.

a) Zwartland in collibus, alt. 600 ped. (III, D, a); b) Onder-Bokkeveld, alt. 2400 ped. (III, A, c).

Var. β. a) Piquetberg, alt. 800 ped. (III, A, d); b) Giftberg, alt. 1500 ped. (III, A, c).

Species polymorpha, nunc canescens nunc subvirescens, foliis fere Thymi angustifolii, nunc vix lineam longis, nunc fere semipollicaribus, spicis nunc densioribus pollicaribus, nunc laxioribus digitalibus. Flores luteoli. — Cf. *A. laxata* Linn. et *Agardhiana* Cand.

* 14. HETEROPHYLLA THUNB.: foliis infimis fasciculatis mediis ternatis summis solitariis, lineari-oblongis obtusiusculis muticis subsericeis, spicis terminalibus elongatis densifloris, bracteis solitariis lanceolatis, calycibus petalisque sericeo-villosis. — Cand. l. c.

In collinis ad montem Tygerberg alt. 600 ped. (III, D, a).

Species tam insignis et prope urbem (Capstadt) tam vulgaris nec fugisse Thunbergium, nec nisi ejus *A. heterophylla* esse potest. Sed meae plantae caulis semper simpliciusculus virgatus, quem Thunbergius ramulosum dicit, ramis divaricatis. Num forsán plures species commiscuit?

15. **ASCENDENS**: foliis inferioribus fasciculatis, superioribus ternatis oblongis obtusiusculis muticis pubescentibus, spicis terminalibus virgatis dissitifloris, bracteis ternatis ovatis, calycibus petalisque sericeo-villosis.

In fruticetis prope Paarl alt. 400 ped. (III, D, a).

16. **JACOBÆA**: foliis inferioribus fasciculatis superioribus ternatis, lanceolatis muticis patentim hirsutis, spicis terminalibus ovatis densifloris, bracteis lanceolatis, calycibus petalisque extus hirsutis.

a) In collibus prope Paarl, alt. 500 ped. (III, D, a), Du-toitskloof ad montem, alt. 2500—3000 ped. (III, A, e).

Ab *A. heterophylla*, quacum Thunbergium hanc confuisse suspicor, differt caule ramosissimo, nec simpliciusculo, ramisque patulis nonnunquam subdivaricatis, foliorum pilis nec appressis nec sericeis, spicis triplo brevioribus minusque crassis. Ab *A. virgata* bracteis lanceolatis nec ovatis, floribus badiis (ut in Loto Jacobæo) nec luteis. Ab *A. procumbente* caule erecto spicisque densioribus e. s. p.

17. **VIRGATA THUNB.**: foliis plerisque fasciculatis ovatis, summis ternatis lanceolato-oblongis muticis sericeis, spicis terminalibus oblongis densis, bracteis ovatis breve acuminatis, calycibus petalisque hirsutis. — Cand. l. c.

a) In collibus arenosis prope Jakhalsrivier et b) Piquet-berg, alt. 800—1200 ped. (III, A, d).

Frutex rigidus erectus, ramis ramulisque divergentibus subvirgatis. Folia fasciculata semilineam longa, ternata duplo triplove longiora et angustiora.

18. **LEUCOCEPHALA**: foliis inferioribus fasciculatis superioribus ternatis oblongo-linearibus acutiusculis muticis subsericeo-pubescentibus, capitulis terminalibus globosis, bracteis obovati

apiculatis flores dimidios aequantibus calycis laciniis subulatis plumoso-lanatis petala aequantibus, vexillo carinaque extus hirsutis.

An *A. pilosa* Linn. mant. pag. 263?

Giftberg, alt. 1800 ped. (III, A, c).

19. *LOTOIDES* THUNB.? foliis inferioribus fasciculatis superioribus ternatis lanceolato-linearibus acutiusculis subpubescentibus, capitulis subgloboso-ovatis densis, bracteis minutis ovatis calycibus petalisque extus hirsutis. — Cand. l. c.?

Cederbergen, prope Ezelsbank, alt. 3600 ped. (III, A. d).

20. *VILLOSA* THUNB.: foliis inferioribus fasciculatis superioribus ternatis distantibus bracteisque lineari-oblongis acutiusculis muticis sericeis, capitulis terminalibus subpedunculatis paucifloris, calycis laciniis lineari-oblongis acutiusculis, petalis subvillosis. — Thunb. flor. capens. pag. 574.

Cederbergen, prope Honigvlei, alt. 2800 ped. (III, A. d).

Radix multiceps. Caules diffusi tenues parce ramosi, quae nota jam a plerisque hujus sectionis recedit. *A. pilosa* Linn. mant. pag. 263, quacum cl. Candollius hanc non sine dubitatione conjunxit, multo magis ad *A. leucocephalam* accedere videtur; sed forsitan ab utraque differt.

21. *SERICEA* BERG.: foliis plerisque fasciculatis summis ternatis solitariisve oblongis obtusiusculis sericeis, capitulis terminalibus oblongis densis, calycibus quinquentatis petalisque hirsutis. — Berg. capens. pag. 212. (nec Linn. fil. nec Thunb.)

A. argentea Thunb. flor. capens. pag. 576. (non Linn.)

Cand. l. c.

a) In rupestribus prope Ezelsbank, alt. 3000—4000 ped. et b) Giftberg, alt. 2000 ped. (III, A, d).

Bergii descriptio optime, ea Thunbergii satis congruit. Sed *A. argentea* Linn. ab hac tota caelo differt.

* 22. *AEMULA*: foliis plerisque fasciculatis summis subternatis obovato-oblongis obtusiusculis muticis sericeis, capitulis terminalibus lateralibusque subspicatis, calycibus quinquefidis laciniis acuminatis petalisque villosis sericeis.

a) In montosis prope Hexrivier, alt. 1500—2000 ped. (IV, B, b); *b*) Cederbergen prope Honigvlei, alt. 2800 ped. (III, A, d).

Simillima antecedenti, quacum olim in herbario Ecklonis confudi. Capitula minora esse solent, magis villosa magisque nitentia; nec raro in spicam abeunt nunc terminalem nunc ramo foliaceo superatam nunc capitulis spicisve lateralibus accessoriis auctam. Inprimis vero calycis laciniis acuminatis tubum aequantibus distinguitur.

23. ARGENTEA LINN.: foliis plerisque fasciculatis summis ternatis aculeo brevissimo simplici fultis, oblongis obtusiusculis apiculatis sericeis, capitulis terminalibus lateralibusque subpedunculatis paucifloris, calycis quinquefidi laciniis lanceolatis petalisque extus subvillosis. — Linn. spec. plant. pag. 1002 (nec Thunb. nec Cand.).

β. glabriuscula: foliis subglabratis.

a) Vierentwintgrivier, alt. 600 ped. (III, D, a); *b*) Paarlberg, alt. 1200 ped. (III, A, e); *c*) in collibus arenosis prope Zwartbastkraal, alt. 800 ped. (III, E, a); *d*) Onder-Bokkeveld, alt. 2400 ped. (III, A, c).

Var. *β*. Giftberg inter rupes, alt. 2000 ped. (III, A, c).

Ab omnibus antecedentibus callo aculeato foliis subjecto, a sequentibus et toto habitu et characteribus infra indicandis abunde diversa.

24. ACULEATA THUNB.: foliis omnibus fasciculatis aculeo subaequali fultis linearibus subtrinerviis muticis apice recurvatis pilosis, floralibus elongatis hamato-mucronatis, capitulis terminalibus lateralibusque densis, vexillo extus hirsuto. — Cand. pag. 138.

a) Paarlberg, inter saxa, alt. 1800 ped. (III, A, e); Daal Josaphat, alt. 800 ped. (III, D, a).

† 25. TRIDENTATA LINN.: foliis plerisque fasciculatis summis ternatis aculeo brevissimo simplici ternatove fultis cuneato-sublinearibus acutiusculis hirsutis, floribus 3—6 breve pedunculatis subcapitatis, calycibus quinquentatis dentibus acutiusculis petalisque extus ferrugineo-sericeis. — Linn. spec. plant. pag. 1002.

A. aculeata Willd.! herbar. nr. 13196 (non Linn.)

In arenosis humidis prope urbem (III, D, b), leg. Ecklon.

26. PURPURASCENS: foliis plerisque fasciculatis summis ternatis aculeo brevissimo fultis subcuneato-linearibus obtusiusculis sericeis supra argenteis subtus helvolis, floribus solitariis lateralibus sessilibus, calycibus quinquedentatis, dentibus acuminatis petalisque extus helvolo-sericeis.

In collibus arenosis prope Zwartbastkraal, alt. 800 ped. (III, E, a).

Antecedenti proxime affinis. Sed folia paulo majora obtusiora sericea discolora, flores majores sparsi, calycis dentes longiores speciem nec meram varietatem esse suadent. Petala utriusque supra ex violaceo purpurascencia.

* 27. ANGUSTISSIMA: foliis fasciculatis angustissime linearibus obtusiusculis glabris, floribus terminalibus solitariis geminisve breve pedunculatis, calycis glabriusculi laciniis acuminato-subulatis, vexillo extus pubescente.

Draakensteensbergen? (III, A, e).

Fruticulus, ramis simpliciusculis subfiliformibus, foliis 2 lineas longis angustissimis, sed evidenter planis.

Haec et duae sequentes habitu peculiari ab omnibus hujus paragraphi speciebus recedunt.

28. CANALICULATA: foliis fasciculatis linearibus carinato-canaliculatis submucronatis puberulis demum glabratis virentibus, capitulis 2—4-floris terminalibus folia floralia aequantibus, calycis quinquefidi villosi laciniis subulatis muticis corolla duplo brevioribus, vexillo carinaque extus villosis.

In siccis saxosis montium prope Gnadenthal, alt. 1500 — 2000 ped. (IV. A).

* 29. GARIPENSIS: foliis plerisque fasciculatis summis ternatis subspathulato-linearibus canaliculatis obtusis argentato-sericeis, floribus solitariis breve pedunculatis lateralibus sub apice ramulorum subspinescentium, calycis sericei laciniis tubo brevioribus lanceolatis muticis, vexillo carinaque extus versus apicem pubescentibus, leguminibus rectiusculis linearibus sericeis.

Ad ostia fluvii Garip, in arenosis (III, B).

Radix longissima simpliciuscula multiceps. Caules fruticosi digitales directione varii rigidi. Proxima haud dubie antecedenti, sed legumine lineari ab omnibus speciebus, quarum fructum novi, diversa. Interea, priusquam plurium *Aspalathorum* legumina innotuerint, ab hoc genere divellere non ausus sum.

30. *CALLOSA* LINN.: glaberrima, foliis omnibus ternatis linearibus canaliculatis mucronatis, spicis ovatis terminalibus, calycis quinquefidi laciniis ovato-lanceolatis acutissimis.

In montosis humidis ad Lowrys - Pass, alt. 1800 ped.

(III, A, e).

Affinis *A. trigonae*, sed diversissima glabritie perfecta, foliis omnibus ternatis fere triplo longioribus subtus teretibus supra canaliculatis, inflorescentia calycisque forma.

§. 4. *Filifoliae mucronatae*: foliis plerisque trigonis vel teretiusculis calycibusque subulato-mucronatis, floribus sessilibus vel brevius pedunculatis.

† 31. *TRIGONA* THUNB.: foliis fasciculatis ternatisve trigonis turgidulis supra sulcatis obtusis mucronatis glabris, floribus terminalibus lateralibusque subsolitariis sessilibus, calycis pubescentis laciniis tubo brevioribus acuminato-subulatis pungentibus, petalis glabris. — *Cand. l. c. pag. 141.*

In Zwarteberg prope Caledonsbad (IV, B, b) legit Ecklon.

Folia 1—2 lineas longa.

32. *DIVERGENS* WILLD.: foliis plerisque fasciculatis summis ternatis subtrigonis acutis mucronatis glabris, floribus terminalibus subsolitariis, calycis pubescentis laciniis tubo vix aequalibus ovatis subulatis, vexillo extus pubescente. — *Willd. herbar. nr. 13207.*

† *β. racemulosa*: floribus 4—6 racemosis.

γ. microphylla: foliis plerisque ternatis minimis.

A. microphylla *Cand. l. c. pag. 143.*

Dutoitskloof, in rupestribus, alt. 2500—3000 ped. (III, A, e).

Var. *β.* prope Tokey ad montem Tafelberg (III, D, b) legit Ecklon.

Var. γ . *a*) Kloof prope urbem, alt. 800 ped. (III, D, b);
b) in arenosis ad Bergrivier, alt. 400 ped. (III, D, a).

Maxime affinis sequenti, sed certe diversa species. Rami multo tenuiores flexuosi; calycis lacinae paulo breviores; carina glabra, ut reliquas differentias taceam. Folia in varietatibus *a* et *\beta* patula sesquilinearum, in γ erecta et subappressa vix unam lineam longa. Sed plura specimina intermedia non specificè differre docuerunt.

33. ACUMINATA LAM.: foliis fasciculatis subtrigonis acutis mucronatis glabriusculis, floribus 1—3 sub apice ramulorum spinosorum lateralibus vel terminalibus, calycis pubescentis laciniis tubo aequalibus ovatis acuminato-subulatis, vexillo carinaque pubescentibus.

a. spinescens: ramulis in spinam luteolam exeuntibus, floribus 1—3 sub spina lateralibus.

A. acuminata Lam. encycl. I, pag. 287. illustr. gen. tab. 620, fig. 4. • *Cand.* l. c. pag. 138.

A. pungens Thunb. fl. capens. pag. 584.

Plukenet. tab. 297, fig. 6. (mala).

\beta. inermis: floribus subgeminis terminalibus.

A. divaricata Thunb. l. c. pag. 582. *Cand.* l. c. pag. 141.

a) Rondebosch, in collibus alt. 300 ped. (III, D, b);
b) in planitie prope Paarl, alt. 400 ped. (III, D, a); *c*) in siccis saxosis ad montem Piquetberg, alt. 800 ped. (III, A, d);
d) Kamiesbergen, prope Leliefontein, alt. 4000 ped. (III, A, a).

Var. β . in siccis saxosis ad montem Paarlberg, altit. 1000—2000 ped. (III, A, e).

34. ACICULARIS: foliis fasciculatis trigonis subulato-mucronatis glabris, floribus subsolitariis terminalibus vel sub apice ramulorum spinescentium lateralibus, calycis pubescentis laciniis tubo vix longioribus acuminato-subulatis, vexillo pubescente, carina glabriuscula.

Plukenet. tab. 413, fig. 2. (bona).

a) Kamiesbergen, alt. 3200 ped. (III, A, a); *b*) Uienvallei, alt. 2200 ped. (III, A, c); *c*) Ebenezar, in collibus arenosis alt. 300 ped. (III, E, a).

Habitus omnino *A. astroitis*, quacum confusa videtur ab auctoribus. Sed facile distinguitur statura minore graciliore, ramis glabriusculis, floribus duplo minoribus, vexillo toto extus pubescente, carina obtusiuscula minime rostrata nec omnino glabra. — Aegrius discernitur ab *A. acuminata*, cujus forsans varietas esse posset, etsi folia *acuminatae* plerumque vix unam lineam longa et ex basi crassiore mox *acuminata* sint; folia *acicularis* autem saepe usque ad 8 lineas longa basique vix incrassata.

35. *ASTROITES* LINN.: foliis fasciculatis trigonis subulato-mucronatis pilosis dein subglabratis, floribus racemoso-subcapitatis, calycis laciniis tubo longioribus subulatis, vexillo medio extus pubescente. — Linn. spec. plant. pag. 1000. Cand. l. c. pag. 138. (excl. apud utrumque Pluken. synonymo).

Sebae thesaur. tab. 24, fig. 6. (bona).

a) Paarlberg (III, A, e); b) Klein-Draakensteen (III, D, a); c) Cederbergen (III, A, d), ad rivulos, in fruticetis, alt. 600—2000 ped.

36. *VULNERANS* THUNB.: foliis fasciculatis teretibus subulato-mucronatis pubescentibus dein glabratis, floribus lateralibus subracemosis, calycis hirsuti laciniis tubum subaequantibus distantibus subulatis, vexillo extus sericeo-subvillosa. — Cand. l. c. pag. 141.

A. Hystrix Lam. encycl. I, pag. 287, illustr. gen. tab. 620, fig. 1 (nec Thunb. nec Linn. fil.).

Giftberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, c).

A vera *A. Hystrix* longe diversa est. Sed a Lamarkio utramque commutatam esse, quod ante editas Thunbergii descriptiones vix evitari poterat, illius et descriptione et icone comprobatur.

37. *SECUNDA*: foliis fasciculatis teretiusculis mucronatis glabris curvatis, racemis terminalibus subsecundis paucifloris subaphyllis, calycis hirsutiusculi laciniis tubum vix aequantibus acuminato-subulatis.

A. corrudaeifolia Berg.? capens. pag. 207. (non Cand.).

A. genistoides Thunb.? fl. cap. pag. 581. (non Linn.)

In collibus prope Riebekskasteel, altit. 800 ped. (III, D, a).

Valde suspicor, esse *A. genistoidem* Thunb., cui pro synonymo addiderunt *A. corrudaefoliam* Berg., etsi utriusque descriptiones nec inter se nec cum nostra stirpe plane conveniant. Sed *A. genistoides* Linn. calyce petalisque glabris certe differt. Nec non *A. corrudaefolia* Cand. foliis rigidis pungentibus floribusque axillaribus cum a nostra tum a Bergii planta homonyma recedit.

38. **ABIETINA THUNB.**: foliis fasciculatis trigonis subulato-mucronatis glabris, calycis colorati laciniis tubo aequalibus ovatis acuminato-subulatis petala glaberrima subaequantibus.

Ad rivulum in Groote-Zwartebergen, alt. 2600 ped. (II, e); *b*) in asperis ad Kromrivier, alt. 800 ped. (IV, C, c).

Petala calyx bractaeaeque concolores sulphureae. Folia valde inaequalia, saepe 4 lineas longa.

* 39. **VERSICOLOR**: foliis fasciculatis teretiusculis mucronatis glabris calycis laciniis tubo aequalibus ovatis acuminato-subulatis, vexillo extus velutino.

Groote-Zwartebergen? (II, e).

Pracedenti similis, sed folia multo rariora duplo breviora, calyx virescens brevior, petala ex flavo et violaceo varia.

40. **GALIOIDES BERG**: foliis fasciculatis teretibus submucronatis glabris, floribus binis solitariisve subterminalibus, calycis tubo pubescente, laciniis lineari-subulatis submucronatis petalisque glabris. — Cand. l. c. pag. 140.

β. foliosa: ramis floriferis dense foliosis.

γ. brevifolia: foliis duplo brevioribus, ramis floriferis nudiusculis.

In collibus prope urbem, alt. 300 ped. (III, D. b).

Var. *β.* in siccis montium jugis *a*) Dutoitskloof et *b*) Paarlberg, alt. 1200—2000 ped. (III, A, e); *c*) Cederbergen, prope Ezelsbank, alt. 3000—4000 ped. (III, A, d).

Fruticulus procumbens, raro erectiusculus flexuosus. Folia var. *α* et *β* 3—4 lineas, var. *γ*. circiter 1½ lineas longa, fasciculis in ramulis floriferis plus minusve remotis, in var. *γ* remo-

tissimis, in var. β . coarctatis. Calycis lacinae in var. α et β tubo fere longiores, in var. γ . vix aequales. Petala ex flavo virescentia, vexilli carinaeque dorso saepe plus minusve rubente, in var. γ . saepe totus flos purpurascens.

41. *LARICIFOLIA* BERG.: foliis fasciculatis teretiusculis subrecurvato-mucronulatis glabris, spicis foliosis, calycis hirsuti laciniis tubo brevioribus latiusculis acuminato-mucronulatis, vexillo extus sericeo. — Berg. capens. pag. 204. Thunb. flor. cap. pag. 583. (non Lam.).

A. laricina Cand. l. c. pag. 141.

Plukenet. tab. 412, fig. 4. (icon haud mala, post Bergium neglecta).

Lowrys-Pass, in rupestribus, alt. 1800 ped. (III, A, e).

Bergii opus, quo haec stirps optime descripta, 1767, Lamarckii opus, quo alia stirps eodem nomine, 1789 prodiit.

42. *SERICANTHA*: foliis fasciculatis teretiusculis subrecurvato-mucronulatis pilosiusculis, racemis subspicatis foliosis, calycis hirsuti laciniis tubo paulo longioribus subulato-submucronatis, petalis extus sericeis.

In collibus graminosis prope Omsamculo, alt. 400 ped.

(V, c).

Antecedenti simillima; sed foliis nunquam prorsus glabratibus, floribus evidenter pedunculatis, calycis laciniis longioribus angustioribus, petalis omnibus sericeis abunde diversa.

43. *GALEATA*: foliis fasciculatis sublineari-trigonis mucronulatis pilosis, dein glabratis nitidis, floribus terminalibus solitariis binisve approximatis breve pedunculatis, calycis pilosi laciniis tubo longioribus subulato-submucronulatis, vexillo extus subsericeo-hirsuto.

Inter Pikenierskloof et Olifantrivier, alt. 1800 ped. (III,

E, a).

Caulis erectus ramosissimus, ramis paniculatis. Folia inferiora vix 2 lineas longa, superiora sensim duplo longiora. Flos speciosus 7—9 lineas longus rubicundus. Cf. *A. cephalotes* Thunb.

* 44. PINEA THUNB.: „foliis fasciculatis filiformibus mucronatis erectis glabris, floribus lateralibus sessilibus comosis, calyce vexilloque extus hirsutis leguminibus oblongis reflexis hirsutis.“ Thunb. flor. capens. pag. 583.

Specimen singulum absque loco natali attulit Drège.

Thunbergii diagnosin non nisi ex ipsius descriptione amplificare ausus sum, quippe qui specimen fructiferum singulum, floriferum nullum vidi.

† 45. FILIFOLIA: foliis fasciculatis summisve ternatis callo obtusissimo fultis, filiformibus mucronatis glabris apice recurvatis, floribus sparsis breve pedunculatis, calycis glabri laciniis tubo triplo longioribus subulato-mucronatis, petalis glabris.

A. galioides Spreng. in Willd. herbar. nr. 13215.

In planitie prope Constantiam (III, E, b) legit Ecklon.

46. VERRUCOSA LINN.: foliis fasciculatis aculeo brevissimo fultis, filiformibus subtrigonis submucronatis pilosis, dein glabratibus, racemis foliosis elongatis, calycis sericei laciniis tubo paulo brevioribus subulato-mucronatis, vexillo extus sericeo. — Cand. l. c. pag. 138.

a) In collibus prope Witteboom, alt. 600 ped. (III, D, b);
b) Dutoitskloof altit. 2000 ped.; c) (aculeis paulo validioribus) ad Paarlberg et Dutoitskloof, alt. 500—1000 ped. (III, A, e).

47. ARANEOSA LINN.: foliis fasciculatis teretibus submucronatis calloso-pilosis flexuosis, capitulis terminalibus pilosissimis, calycis subvillosi laciniis tubo triplo longioribus subulato-submucronatis corollam superantibus, vexillo extus hirsuto. — Linn. spec. plant. pag. 1001. Cand. l. c. pag. 141. (excl. Linn. fil. et Sims. synonym.).

A. capitata a. *major* Berg. cap. pag. 202.

β . *rigidior*: foliis firmioribus longioribus erectis evidentius mucronatis.

In vallibus humidiusculis a) Dutoitskloof et b) Paarlberg, altit. 500—1500 ped. (III, A, e).

Var. β . in montosis humidis prope Gnadenthal, altit. 2000—3000 ped. (IV, A).

Anthyllis quinquefolia Linn. fil., auctoritate herbarii Burmanniani a cl. Candollio huc relata, ex ipsius auctoris descriptione diversissima est, foliis ternatis petiolatis obtusis e. s. p. De *A. araneosa* Sims. cf. *A. mollis* Lam.

48. **CHENOPODA LINN.:** foliis fasciculatis trigonis subulato-mucronatis pilosis rectis, capitulis terminalibus pilosissimis, calycis subvillosi laciniis tubo longioribus subulato-mucronatis vix dimidia corolla longioribus, vexillo extus ferrugineo-tomentoso. — Cand. l. c. pag. 138.

Plukenet. tab. 397. fig. 6. (huc pertinet, nec ad *A. capitata*).

a) Tafelberg, alt. 1000—2000 ped. (III, A, e); *b)* Wupperthal, in collinis (III, A, d).

Ab *A. araneosa* differt imprimis foliis magis rigidis ecallosis, calycibusque vix dimidiam corollam superantibus.

49. **ECHINATA:** foliis fasciculatis teretibus mucronatis hirtis canescentibus, floribus sparsis sessilibus, calycis tomentosi dentibus acuminato-mucronatis enerviis, petalis extus sericeo tomentosis.

Dutoitskloof, alt. 1200—2000 ped. (III, A, e).

Folia 2 lineas longa, mucrone aurantiaco. Ramuli hirti nec, ut sequentis, tomentosi.

50. **HYSTRIX THUNB.:** foliis fasciculatis teretibus subulato-mucronatis recurvatis subsericeo-tomentosis incanis, floribus sparsis sessilibus, calycis tomentosi laciniis tubum aequantibus complicato-acuminatis subulato-mucronatis, vexillo extus tomentoso. — Cand. l. c. pag. 139.

a) Kendo, in jugis montium siccis et saxosis, alt. 3400 ped. (II, e); *b)* Onder-Bokkeveld, alt. 2400 ped. (III, A, c).

* 51. **ARGYRAEA CAND.:** foliis fasciculatis teretibus mucronatis tomentoso-sericeis incanis, calycis tomentosi dentibus acutis mucronatis, petalis extus tomentoso-sericeis.

In collibus saxosis prope Onzer in Langekloof, alt. 1800 ped. (IV, B, e).

52. **ARMATA THUNB.:** foliis fasciculatis teretibus subulato-mucronatis canescentibus, junioribus niveis, racemis terminalibus aphyllis paucifloris, calycis villosi laciniis tubum aequantibus

acuminatis subulato - mucronatis, petalis extus villosis calyce parum brevioribus. — Cand. l. c. pag. 139.

In collibus arenosis inter Bergvalei et Langevalei, altit. 800 ped. (III, E, a).

53. ALBENS LINN.: foliis fasciculatis subtrigonis subrecurvato - mucronulatis canescenti - pubescentibus, racemis subspicatis aphyllis terminalibus, calycis hirsuti laciniis tubum subaequantibus acuminato - mucronatis, petalis extus hirsutis. — Linn. mant. pag. 261 (nec Thunb. nec Cand.).

β. *virens*: foliis subglabratis virentibus.

a) Blaauwberg; b) Tygerberg.

Var. β. Dassenberg. Utraque forma in collibus argillosis alt. 200—500 ped. (III, D, a).

Cf. infra *A. caerulea*.

54. RIGESCENS: ramis patentibus subfastigiatis, foliis fasciculatis teretibus subulato - mucronatis hirtis rectis, floribus sparsis sessilibus, calycis pubescentis laciniis tubo decemnervio parum longioribus lanceolatis marginato - trinerviis, petalis calycem vix superantibus hirsutis.

a) In collibus prope Port-Elizabeth (IV, C, e); b) ad rivulum prope Gnadenthal, alt. 1500 ped. (IV, A).

55. ALOPECUROIDES: ramis erectis decrescentibus, foliis fasciculatis teretibus subulato - mucronatis sericeis incurvatis, calycis hirsuti laciniis tubo subnervio duplo longioribus lineari-subulatis mucronatis, petalis calycem vix superantibus extus hirsutis.

a) Van-Staadesberg, alt. 800 ped. (IV, C, c); b) ad ostia fluvii Omsamcaba (V, c).

Inter priorem et sequentem omnino intermedia, habitu hanc, illam structura simulans.

56. CANESCENS LINN.: foliis fasciculatis teretibus inferioribus muticis superioribus mucronulatis incurvatis sericeo - canescentibus, floribus lateralibus subspicatis, calycis hirsuti laciniis tubum vix aequantibus complicato - subulatis obsolete mucronulatis, vexillo extus subsericeo - villoso. — Cand. l. c. pag. 141.

† *a. elongata*: ramis paucis elongatis flexuoso - erectis, floribus dense spicatis.

A. canescens Willd. herbar. nr. 13221, et forsan omnium auctorum.

β. pauciflora: ramis frequentioribus brevioribus ascendentibus, foliis brevioribus minusque densis, floribus sparsis vix subspicatis.

γ. subvirescens: ramis frequentioribus brevioribus erecto-patulis, foliis minus densis subvirentibus hirtis floribus subspicatis.

Var. *α*. Prope Zwellendam (IV, B, b) et in Zoetendalsvlei provinciae Caledon (IV, C, a) legit Ecklon.

Var. *β*. *a*) Tafelberg, alt. 800 ped, (III, A, e); *b*) Wupperthal alt. 1800 ped. (III, A, d); *c*) Zuurebergen, alt. 2500 ped. (V, a).

Var. *γ*. Paarlberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e).

Valde affinis *A. Hystrii*. Differt, praeter calyces foliaque mutica vel obsolete tantum mucronulata, imprimis foliis tenuioribus incurvatis nec recurvatis, vexillo supra haud striato, carina longius incumbente.

57. **FRANKENIOIDES BURCH.**: foliis fasciculatis subtrigono-teretiusculis muticis velutino-canescens, floribus sparsis sessilibus, calycis subvillosi laciniis tubo brevioribus complicato-subulatis submucronatis, petalis sericeis. — Burch. apud. Cand. l. c. pag. 139.

In graminosis prope Glenfilling provinciae Albany, alt. 800 ped. (V, a).

Ab *A. canescente* jam prima fronte foliis vix lineam longis, ab *A. argyrea*, cui adhuc similior, foliis muticis distinguitur.

§. 5. **Muticae**: foliis plerisque vel omnibus fasciculatis trigonis vel teretiusculis calycibusque enerviis vel uninarviis muticis, floribus sessilibus vel brevius pedunculatis.

58. **PROPINQUA**: foliis fasciculatis patulis ovato-trigonis obtusis incano-subtomentosis, floralibus conformibus, floribus terminalibus solitariis ternisve subumbellato-capitatis, calycis villosi laciniis tubo paulo brevioribus subtriangularibus acutiusculis, vexillo extus subsericeo-pubescente.

Cederbergen, in humidis prope Ezelsbank, alt. 3000—4000 ped. (III, A, d).

59. **TRIQUETRA THUNB.**: foliis fasciculatis incurvato-imbri-
catis trigonis obtusis subtus transversim rugosis incano-villosis
demum subglabratis nitidulis, floralibus elongatis acutissimis mu-
ticis, capitulis terminalibus paucifloris calycis villosi laciniis
tubum subaequantibus subovato-acuminatis acutiusculis, vexillo
extus cano-villoso.

a) Cederbergen, in rupestribus alt. 3000—4000 ped. (III,
A, d); b) Dutoitskloof, alt. 2500 ped. (III, A, e).

60. **CAERULESCENS**: foliis fasciculatis trigonis muticis
sericeo-incanis, floribus sparsis subracemosis solitariis gemi-
nisve, calycis pubescentis dentibus subtriangulo-dilatatis, petalis
glabris.

A. albens Thunb.? fl. cap. pag. 576. *Cand.*? l. c. pag. 138
(non Linn.).

In collibus saxosis inter Klipplaatrivier et Zwart-Key alt.
3500—4000 ped. (I, a).

Flores albentes apicibus petalorum caeruleiscentibus.

* 61. **CINERASCENS**: foliis fasciculatis teretibus muticis se-
riceo-incanis, floribus sparsis subspicatis solitariis, calycis pu-
bescentis dentibus triangularibus, vexillo extus pubescente.

Draakensteen? (III, D, a).

Antecedenti valde similis, sed diversissima foliis minime
trigonis, floribus sessilibus luteis, calycis dentibus angustioribus
vexilloque pubescente. Charactere proprius accedit ad *A. cane-*
scentem. Differt foliis obtusissimis, floribus minoribus calyce-
que dentato nec fisso, lobis triangulis nec subulatis.

62. **RUBENS THUNB.**: foliis fasciculatis teretiusculis muti-
cis sericeo-canescensibus, floribus subterminalibus solitariis ses-
silibus, calycis sericeo-canescens laciniis tubo paulo brevioribus
subtriangulati-acuminatis obtusiusculis - petalis extus sericeo-
pubescentibus. — *Cand.* l. c. pag. 142.

a) In fruticetis ad Kromrivier, alt. 800 ped.; b) Van-
Staadesberg in rupestribus, alt. 1500 ped. (IV, C, c).

63. **TOMENTOSA**: foliis fasciculatis teretibus muticis incano-tomentosis, floribus sparsis sessilibus, calycis tomentosi dentibus subdistantibus obtusis, vexillo extus subtomentoso.

Zuurebergen, inter saxa, alt. 2500 ped. (V, a).

Fruticulus parvus erectus, ramosissimus totus incano-tomentosus, ramis patentibus, foliis sesquilinearibus, floribus luteis. Antecedentibus affinis, minime sequentibus.

* 64. **CAPITATA LINN.**: foliis fasciculatis incurvatis teretiusculis apice calloso submucronulatis pilosis, floribus subumbellato-capitatis, calycis tribracteati laciniis tubum subaequantibus late ovatis acutiuseculis pilosis villosociliatis, petalis glabris. — Cand. l. c. pag. 138 (excl. Pluken. syn.).

Tafelberg, alt. 3000 ped. (III, A, e).

Icon Plukenetiana certe ad *A. chenopodam* pertinet. *A. capitata* α . Berg. est *A. araneosa*; ejusdem var. β . minor mihi omnino dubia est.

65. **SPICATA THUNB.**: foliis fasciculatis subtrigono-teretiusculis muticis pilosis exsiccatione nigricantibus, spicis terminalibus oblongis densifloris, calycis villosi laciniis tubum duplo superantibus subtrigono-subulatis muticis, petalis extus ferrugineo-tomentosis calycem vix superantibus, carina brevissima. — Cand. l. c. pag. 139.

a) Paarlberg, in fruticetis, alt. 800—2000 ped. (III, A,

e); b) in collibus graminosis prope *Klaas-Niemantfontein*, alt.

600 ped., c) Van-Staadesberg, alt. 1200 ped. (IV, C. c).

66. **INCURVA THUNB.**: foliis fasciculatis teretiusculis subulatis hirtis, supremis submucronulatis, spicis foliosis elongatis incurvis, floribus distantibus foliis floralibus brevioribus, calycis hirsuti laciniis tubo paulo longioribus subulatis muticis corollam subaequantibus, vexillo sericeo, carina alisque subpilosis. — Cand. l. c. pag. 140.

In collibus inter frutices a) prope Paarl (III, D, a) et

b) Tulbagh (IV, B, b), alt. 400—800 ped.

67. **MOLLIS LAM.**: foliis fasciculatis teretiusculis muticis piloso-villosis, pilis divaricatis, floribus subsessilibus subspicatis, calycis piloso-villosi laciniis tubo duplo longioribus subulatis

muticis folia floralia corollamque subaequantibus, vexillo extus hirsuto. — Lam. eneycl. I pag. 290.

A. ericifolia Cand. l. c. pag. 139 (non Linn.).

β . *flexuosa*: foliis rarioribus, brevioribus, floribus sparsis.

A. flexuosa Thunb. fl. cap. pag. 579.

A. araneosa Sims. bot. mag. tab. 829 (non Linn.).

Paarlberg in saxosis, alt. 800—1500 ped. (III, A, e).

Var. β . ibidem, alt. 2000 ped.

Varr. α et β habitu saepe dissimillimae, tamen ob formas plurimas intermedias aegrius limitantur. Ab *A. ericifolia* Linn., sane proxima, differt foliis duplo triplove longioribus longiusque pilosis, pilis magis divaricatis, foliis floralibus totum calycem nec solum ejus tubum aequantibus, carina glaberrima e. s. p. Icon laudatam plantam cultura quodammodo mutatam sistere videtur, foliis longioribus floribusque subspicatis ad var. α accedentem, ob ramos laxos foliaque remota ad var. β referendam.

68. ERICIFOLIA LINN.: foliis fasciculatis subtrigonis muticis villosiusculis, floralibus calycis tubum aequantibus, floribus sessilibus sparsis, calycis villosi laciniis tubo subduplo longioribus sublineari-subulatis muticis corollam subaequantibus, vexillo carinaque hirsutis. — Linn. spec. plant. pag. 1000. Thunb. fl. cap. pag. 579. Cand. l. c. pag. 139 (excell. Lam. et Berg. synonn.).

A. ericoides mihi quondam in herbar. Ecklonis.

A. flexuosa Willd. herbar. nr. 13209 (non Thunb.).

Pluken. tab. 413 fig. 6. (quoad habitum non spernenda).

In siccis saxosis ad montem Paarlberg, alt. 500—1000 ped. (III, A, e).

De *A. ericifolia* Berg. cf. infra observatio ad *A. cymbiformem*.

69. THYMIFOLIA LINN.: foliis fasciculatis teretiusculis muticis canescenti-hirsutis vel glabriusculis, floralibus calycis tubum aequantibus, floribus sessilibus sparsis, calycis laciniis tubo subaequalibus subulatis muticis corolla brevioribus, vexillo hirsuto, carina pubescente vel glabra. — Linn. sp. pl. pag. 1000. Thunb. fl. cap. pag. 578. Cand. l. c. pag. 139.

A. ericifolia Willd. herbar. nr. 13205.

* β . *incana*: foliis incano-subvillosis, carina pubescente.

* γ . *hispida*: foliis brevioribus hirtis dein subglabratis, carina glabra.

A. hispida Willd. herbar. nr. 13208.

A. microcarpa Cand. ? l. c.

* δ . *vermiculata*: foliis brevissimis glabris, ramis ramulisque elongatis flexuosis vermicularibus.

A. vermiculata Lam. — Cand. l. c. pag. 141.

a) Paarlberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e); b) in collibus argillosis prope Groenekloof, alt. 400 ped. (III, D, a); c) in arenosis prope Saldanhabaai, alt. 100 ped. (III, E, b); d) Kamiesbergen, in rupestribus prope Ezelsfontein, alt. 2400 ped. (III, A, a).

Var. β . Roodeberg, alt. 3500—4000 ped. (III, A, a).

Var. γ . Dutoitskloof in rupestribus alt. 1500 ped. (III, A, e).

Var. δ . In arenosis ad Bergrivier et in Daal Josaphat, alt. 400—800 ped. (III, D, a).

Species maxime versatilis, et in posterum forsan denuo dividenda. Mihi vero in maxima speciminum copia formarumque varietate, quarum praecipuas tantum commemoravi, nullos certos fines detegere licuit. Folia praesertim varietatis δ vix semilineam longa.

70. MULTIFLORA THUNB.: foliis fasciculatis subtrigonis muticis glabris, racemis foliosis subspicatis elongatis, calycis puberuli laciniis tubum aequantibus subulatis muticis, petalis pubescentibus. — Cand. l. c. pag. 140.

Inter Betelsdorp et Van-Staadesrivier in collibus calcareis inter gramina, alt. 600—800 ped. (IV, C, c).

Antecedenti proxima, sed distinctissima habitu peculiari, foliis semper glabris evidenter angulosis, floribusque in genere minutissimis vix 2 lineas longis.

71. INCOMTA THUNB.: foliis fasciculatis teretibus muticis incurvis sordidis tenuissime puberulis, floribus solitariis sparsis subsessilibus, calycis pubescentis dentibus brevissimis obtusiusculis, vexillo extus pubescente. — Cand. l. c. pag. 139.

Inter Straat et Hexrivier, alt. 2500 ped. (IV, A.).

72. WURMBEANA.: foliis fasciculatis teretibus muticis glabris floribus sparsis pedunculatis, pedunculis calyce brevioribus, calycis glabriusculi laciniis tubo parum longioribus lanceolatis acuminatis muticis, vexillo extus ad apicem subpubescente.

Wupperthal, alt. 1600 ped. (III, A, d).

A. lacteae maxime affinis, diversa ramis subdivaricatis nec erectis, foliis fasciculorum minus numerosis laxioribus, pedunculis longioribus, calycis laciniis tubo longioribus nec brevioribus. Flores flavi, vexillo carinaeque apice saepius leviter rubentibus.

73. LACTEA THUNB.: foliis fasciculatis teretiusculis muticis glabris, racemis foliosis subspicatis erectis, calycis glabri ciliati dentibus attenuatis obtusiusculis, petalis glaberrimis. — Cand. l. c. pag. 140.

Onder-Bokkeveld, alt. 2400 ped. (III, A, c).

Caulis erectus sesquipedalis, paniculato-ramosus. Flores albi vel leviter rubicundi.

74. LEPIDA: foliis fasciculatis teretibus muticis glabris, floribus sparsis subracemosis solitariis geminisve breve pedunculatis, calycis pubescentis dentibus subtriangularibus acutis, petalis extus pubescentibus.

a) Prope Zwartbastkraal ad latera montium sicca aspera;

b) in collibus arenosis circa Piquetberg, alt. 800—1200 ped. (III, E, a).

* 75. RETROFLEXA LINN.: foliis fasciculatis teretibus muticis vel obsolete mucronulatis glabris vel parce pilosis, floribus terminalibus solitariis, calycis pubescentis laciniis tubo vix longioribus subulatis muticis, vexillo sericeo. — Linn. spec. plant. pag. 1001. Thunb.? flor. cap. pag. 282 (excl. Berg. synonym.). Willd. herbar. nr. 13216. Cand. l. c. pag. 141.

Inter Draai et Driekoppe in saxosis, alt. 2500—3500 ped. (II, f).

Thunbergius plantae suae corollam glabram tribuit. At reliqua cum planta et Dregeana et Willdenoviana ita congruunt,

ut de identitate dubitare nequeam. Color corticis ex ferrugineo rufescens a reliquarum plerisque hanc primo intuitu secernit.

76. ARIDA: foliis fasciculatis teretiusculis apice subrecurvatis muticis vel obselete mucronulatis, floribus sparsis brevissime pedunculatis, calycis glabriusculi laciniis tubum aequantibus ovato-subulatis muticis, petalis glaberrimis, ramis spinescentibus.

A. spinescens Cand. l. c. pag. 138 (non Thunb.).

α. erecta: caule ramisque elongatis erectis.

β. procumbens: rigidior, caule ramisque procumbentibus, ramulis brevioribus arrectis.

Var. *α* in arenosis *a*) inter Olifantrivier et Pikenierskloof, *b*) Zwartbastkraal, alt. 800—1600 ped. (III, E, a); *c*) prope Bergrivier, alt. 400 ped. (III, D, a).

Var. *β* in collibus argillosis *a*) prope Rondebosch, alt. 300 ped. (III, D, b); *b*) Klein Draakensteen, alt. 800—1500 ped. (III, D, a).

Petala cito marcescentia rigidiora ex fuscescente straminea.

77. SPINOSA LINN.: foliis circa spinam fasciculatis teretiusculis muticis glabris, floribus sparsis subsessilibus, calycis subpubescentis dentibus brevibus acutiusculis muticis, petalis glabris. — Cand. l. c. pag. 188.

* *β. inermis*: fasciculis foliorum spina destitutis.

In collibus alt. 200—1200 ped. *a*) prope urbem (III, D, b), *b*) Draakensteen (III, D, a), *c*) Hexrivier (IV, B, b), *d*) inter Algoabaai et Van-Staadesrivier (IV, C, c); *e*) prope Klein-Bruintjeshoogte, alt. 2800 ped. (V, a).

Var. *β*. in collibus graminosis prope Omsamcaba, alt. 800 ped. (V, b).

Mirum sane, quod in varietate inermi spinæ non in ramulos foliosos transeunt, sed prorsus desiderantur.

78. SUCCULENTA: foliis fasciculatis subtrigonis crassiusculis muticis vel obsolete mucronulatis glabris, racemis terminalibus foliosis, floribus folia floralia vix aequantibus glabris, calycis dentibus contiguis subtriangularibus acutis.

In collibus calcareis prope Potberg, altit. 400 ped. (IV, C, a).

Ab A. pingui aegre distinguitur, etsi habitu omnino differat. Caulis crassior magisque tomentosus, verrucis frequentissimis maximis papillosis. Folia duplo longiora, 3—6 lineas longa, crassiora, laxiora pallidiora. Flores in ramulorum summitatibus magis coadunati, nec undique sparsi, manifesto pedunculati, nec omnino sessiles, et nihilominus folia floralia vix aequantes. Calycis dentes ad basin multo latiores. Carina obtusior et, ni fallor, magis incurvata. Praeterea vix ulla differentia.

79. **PINGUIS THUNB.**: foliis fasciculatis subtrigonis crassiusculis muticis vel obsolete mucronulatis glabris, floribus sparsis sessilibus glabris, folia floralia longe superantibus, calycis dentibus distantibus acutis. — **Cand. l. c. pag. 140.**

a) In collibus prope Piquetberg alt. 800 ped. (III, D, a);

b) in rupestribus prope Gnadenthal alt. 2000 — 3000 ped.

(IV, A); *c)* in siccis prope Klein-Vischrivier, alt. 2400 ped.

(V, a).

80. **AFFINIS THUNB.**; foliis fasciculatis trigono-teretiusculis crassiusculis obtusissimis glabris, spicis foliosis terminalibus, calycis glabriusculi dentibus brevibus obtusiusculis, petalis glaberrimis. — **Cand. l. c.**

In jugis montium saxosis siccis *a)* ad Aasvogelberg et

b) Kendo, alt. 2500—3000 ped. (II, e).

81. **SPINESCENS THUNB.**: foliis fasciculatis teretiusculis crassiusculis obtusis glabris, floribus sparsis, calycis pubescentis laciniis brevibus acutis muticis, vexillo carinaque extus pubescentibus, ramis ramulisque divaricatis spinosis. — **Thunb. fl. cap. pag. 584 (non Cand.).**

Groenekloof in collibus arenosis, alt. 300 ped. (III, E, b).

† 82. **CARNOSA LINN.**: foliis fasciculatis teretiusculis obsolete mucronulatis glabris, floribus subquaternis terminalibus corymboso-subumbellatis, calycis tribracteati pubescentis dentibus latissimis apiculatis, petalis glabris. — **Linn. mant. pag. 261. Thunb. fl. cap. pag. 580. Sims. bot. magaz. tab. 1989.**

A. genistoides mihi quondam in herbario Ecklonis (non Linn.).

Ad radices montium prope Kleinriviers-Berg (IV, C, a) leg. Ecklon.

Thunbergii synonymon dubium est propter folia 3—4 lineas longa, quae ille vix lineam longa dicit, et propter inflorescentiam memorabilem ab illo neglectam.

83. CORYMBOSA: foliis fasciculatis ternatis simplicibusve teretibus subulato-mucronatis glabris, floribus terminalibus lateralibusque subcorymbosis, calycis dentibus acuminatis muticis, vexillo pubescente, carina glabra vel pubescente.

Plukenet.? tab. 412 fig. 5.

a) Prope urbem (III, D, b) et b) Paarl in argillosis, alt. 300—800 ped. (III, D, a); c) Cederbergen, in rupestribus, alt. 3500—4000 (III, A, d); d) Onder-Bokkeveld et e) Giftberg, alt. 2500 ped. (III, A, c).

Species valde singularis, *A. tenuifoliae* similis, licet diversissima. Icon laudata habitum bene reddit, nec forsan ullo dubio premeretur, nisi chalcographi vitio ad praeposterum textus locum duceretur, cui qui substituendus esset, vix Oedipus divinaret.

§. 6. Filifoliae nervosae: foliis fasciculatis ternisve trigonis vel teretiusculis calycisque laciniis trinerviis muticis, floribus sessilibus vel brevius pedunculatis.

84. NIGRA LINN.: foliis fasciculatis teretiusculis muticis pubescentibus dein glabratis, exsiccatione nigricantibus, floribus terminalibus spicatis capitatisve, calycis pubescentis dentibus ovatis obtusis trinerviis, petalis extus villosis. — Cand. l. c. pag. 140.

β . *squamulosa*: floribus paucioribus, foliis floralibus dilatatis variis.

Prope Liefde in collibus, alt. 600—1000 ped. (IV, B, b).

Var. β . prope Zwellendam, alt. 400 ped. (IV, B, b).

Folia floralia hujus speciei mirifice variant. Plerumque quidem foliis rameis conformia, sed in var. β . plus minusve dilatata et abbreviata, nec raro palmatim trifida sunt. In genere rameis eo magis conformia sunt, quo magis flores in spicam extenduntur, et eo magis difformia, quo magis flores in

capitulum colliguntur. Verum tanta harum formarum inconstantia est, ut omnes limites frustretur.

85. **PARVIFLORA BERG.**: foliis fasciculatis teretiusculis muticis hirsutis, spicis paucifloris subcapitatis, calycis pubescentis laciniis tubo paulo brevioribus ovato-lanceolatis acutis subtrinerviis, vexillo carinaque extus hirsutis. — Berg. capens. pag. 208. Thunb. fl. cap. pag. 579. Willd. herbar. nr. 13210. Cand. l. c. pag. 139.

Gnadenhal, alt. 600 ped. (IV, B, b).

Antecedenti valde similis, sed abunde diversa. Descriptio apud Bergium et apud Thunbergium ita differunt, ut cl. Candollio ad diversas species spectare visa sint. Nihilominus utraque in nostram stirpem, quae eadem ac Willdenoviana, satis quadrat. Pili foliorum inferiores patentiores, summi erectiores et frequentiores, ita ut quasi barbam constituent, cujus Bergius solus meminit. Flores revera semper spicati sunt; sed quum 3—4 tantummodo adsunt, verticilli speciem prae se ferunt, quales Thunbergius plantae tribuit.

86. **CYMBIFORMIS CAND.**: foliis fasciculatis trigonis muticis canescenti-hirsutis vel subglabrato-virentibus, floribus sparsis sessilibus, calycis hirsuti laciniis tubo longioribus cochleariformibus obtusiusculis muticis trinerviis, vexillo tomentoso. — Cand. l. c. pag. 140.

A. uniflora Lam. encycl. I, pag. 283, (an et Linn.?)

A. ericifolia Berg. l. c. pag. 205 (non Linn.).

In collibus saxosis prope Bergrivier, alt. 400 ped. (III, D, a).

Variat calycis laciniis brevioribus obtusioribus et longioribus acutioribus. Nihilominus ipsius calycis forma ab omnibus speciebus mihi notis abunde differt. De Bergii synonymo ex descriptione dubitari nequit. Sed valde suspicor, et *A. unifloram* Linn. huc pertinere, etsi non videam, quid cum stipulis sibi voluerit. Plukenetii icon a Linnaeo laudata neque cum nostra planta neque cum ipsius Linnaei descriptione congruit.

87. **NERVOSA**: foliis fasciculatis trigonis obsolete mucronatis tenuissime pubescentibus canescentibus, floribus solitariis

subterminalibus sessilibus, calycis hirsuti laciniis tubum aequantibus, corolla dimidia brevioribus, erectis planis ovatis acutis submucronatis trinerviis, vexillo extus subtomentoso.

Nieuwekloof in rupestribus, (III, A, e).

Antecedenti proxima, sed vel habitu peculiari vel calycis fabrica satis diversa.

88. **ELONGATA**: foliis fasciculatis trigonis mucronulatis pilosis dein subglabratibus, floribus subspicatis, spicis foliosis virgatis, calycis hirsuti laciniis tubo duplo longioribus, corolla parum brevioribus, lanceolatis acuminato-submucronulatis trinerviis, vexillo extus subtomentoso.

Draakensteen? (III, D, a).

Habitu antecedentibus binis, caractere sequenti propior.

89. **COMOSA THUNB.**: foliis fasciculatis trigonis mucronulatis pilosis, floribus sessilibus subsolitariis terminalibus vel subramulorum apice lateralibus, calycis hirsuti laciniis tubo dimidiisque petalis longioribus lanceolatis acuminato-mucronulatis trinerviis, vexillo extus subtomentoso. — *Cand. l. c. pag. 141.*

In rupestribus humidis a) Paarlberg et b) Dutoitskloof, alt. 1500—3000 ped. (III, D, e).

† 90. **CEPHALOTES THUNB.**: foliis fasciculatis subtrigonis crassiusculis muticis glabris vel subpilosius, summis mucronulatis ciliato-subvillosis, capitulis terminalibus paucifloris, calycis hirsuti laciniis tubo paulo longioribus, petalis paulo brevioribus, lanceolatis acuminato-submucronulatis, vexillo subtomentoso, carina glabra vel pubescente. — *Thunb. fl. cap. pag. 578.*

Zwarteberg (IV, B, b) legit Ecklon.

De *A. cephalote* *Cand. cf. supra A. galeata.*

91. **CILIARIS LINN.**: foliis fasciculatis angustissime sublinearitrigonis subulato-mucronulatis calloso-pilosius laxiusculis, floribus terminalibus subcapitatis, capitulis paucifloris, calycis villosius laciniis longissimis petala aequantibus vel superantibus linearibus acuminatis mucronulatis trinerviis, vexillo extus subtomentoso, carina glabra vel pubescente. — *Cand. l. c. pag. 142.*

β. calycina: foliis floralibus calycisque laciniis longissimis minus laxis.

In praeruptis montium *a*) Dutoitskloof et *b*) Paarlberg, alt. 1000—2000 ped. (III, D, e).

Var. *β*. Paarlberg, alt. 800 ped.

§. 7. **Pedunculares**: foliis fasciculatis ternatisve variis, floribus longe pedunculatis.

92. **LANATA**: foliis fasciculatis ternatisve planis angustissimis utrinque acuminatis muticis villosissimis, floribus lateralibus solitariis longe pedunculatis, calycis laciniis tubo duplo longioribus subulatis muticis, vexillo hirsuto.

Piquetberg, in humidiusculis, alt. 1800 ped. (III, A, d).

93. **PEDUNCULATA HERIT.**: foliis fasciculatis trigono-planiusculis angustissimis utrinque acuminatis submucronulatis glabris, floribus lateralibus terminalibusque solitariis longe pedunculatis, calycis laciniis tubo longioribus lineari-subulatis muticis, vexillo extus pubescente. — Cand. l. c. pag. 143.

In rupestribus humidiusculis *a*) Paarlberg et Draakenssteensbergen, *b*) Tafelberg, alt. 2000—3500 ped. (III, D, e).

* 94. **BIFLORA**: foliis fasciculatis teretiusculis mucronatis glabris, pedunculis in ramulis terminalibus elongatis apice bifloris, pedicellis inaequalibus, calycis glabriusculi laciniis tubum aequantibus ovatis acuminato-mucronatis, vexillo extus pubescente.

In pratis inter Betelsdorp et Van-Staadesrivier, alt. 600 ped. (IV, C, c).

Valde affinis *A. galioidis* varietati γ ; diversa floribus vere pedunculatis, pedunculis pedicellisque nudis, vexillo extus pubescente. Cf. *A. galioides* Thunb., quae a planta Bergiana forsitan diversa. Caules ascendentes. Rami virgati. Ramuli remoti breves stricti parce foliosi in pedunculum transeuntes.

95. **NIVEA THUNB.**: foliis fasciculatis trigono-planiusculis muticis incano-sericeis, pedunculis lateralibus elongatis uni-

floris, calycis sericei laciniis tubo aequalibus subulatis muticis, vexillo carinaque extus pubescentibus. — *Cand. l. c.* pag. 144.

In saxosis prope Zwartkopsrivier, infra alt. 100 ped. (IV, C, c).

96. TENUIFOLIA CAND.: foliis fasciculatis ternatis simplicibusve elongatis teretibus subulatis glabris, racemis aphyllis lateralibus elongatis apice subquadrifloris, calycis glabriusculi laciniis tubo aequalibus ovatis acuminato-subulatis muticis, vexillo extus pubescente.

Piquetberg, in rupestribus humidiusculis, alt. 800 ped. (III, A, d).

MICROTROPIS.

Ononidis spec. Thunb.

Calyx tubulosus quinquefidus, laciniis longitudine subaequalibus, infima angustiore. Vexillum reflexum striatum. Alae breviores valde obliquae. Carina brevissima arcuata retusa. Stamina monadelphia inclusa. Stylus filiformis glaber. Legumen turgidum stylo flexuoso terminatum subtetraspermum. Semina funiculo cylindrico ad ventrem affixa. — Herba repens hirsuta, foliis simplicibus, racemis terminalibus ovatis pedunculatis. Rami ad modum *Corydalis fabaceae* folio squamaeformi fulti.

Genus proximum *Crotalariae* atque *Aspalatho*. Nomen a verbo *τρόπος*, carina.

I. HIRSUTA.

Ononis hirsuta Thunb. fl. cap. pag. 584.

Habitat *a*) in Kaapsche Vlakte (III, E. b.); *b*) prope Elleboogsfontein, alt. 2500 ped. (III, A, a).

SPHINGIUM.

Ononidis spec. Thunb.

Calyx bilabiatus, labiis subaequalibus erectis, inferiori tripliciter bidentato. Vexillum ad latera reflexum alas superne dilatatas superans. Carina iis brevior fornicata genitalia includens. Stamina monadelphia. Legumen lineare compressum curvatum oligospermum inter semina coarctatum.

Fruticuli radice simpliciuscula perpendiculari, erectiusculi ramosissimi plerumque vel glanduloso-vel vernicato-visciduli, foliis trifoliatis, alii spinosi, floribus ad basin spinarum sessilibus, alii inermes, spicis rectis terminalibus et oppositifoliis. Bractea tres, laterales angustissimae. Flores parvi saepius lutei.

Nomen ex forma leguminis a verbo *σφίγγω*, constringo.

Affinitate proximum *Adenocarpus*, diversum calycis labiis erectis nec hiantibus, subaequalibus nec altero longe breviori, alis carinam nec hac illas superante etc. — Species pleraeque aegre distinguuntur repetitoque in vivas examine egent.

§. 1. Inermia, floribus spicatis.

1. **CANALICULATUM**: inerme, viscoso-scabrum, foliolis linearibus canaliculatis, spicis abbreviatis, bracteis lanceolatis tubum calycis aequantibus.

Karoo, alt. 2000—2500 ped. (II, f).

Legumen ignotum.

2. **LAMPOLOBUM**: inerme viscoso-scabriusculum, foliolis oblongo-cuneatis crassiusculis, racemis subspicatis, bracteis brevissimis, calycibus leguminibusque falcatis vernicato-nitidis.

Kendo, in collibus siccis, alt. 3000 ped. (II, e).

3. **SPICATUM**: inerme subsericeo-pubescent, subcanescens, foliolis oblongo-cuneatis, spicis elongatis, bracteis calycis tubum subaequantibus, leguminibus rectiusculis hispidulis.

a. hirsutiusculum: pube paulo longiore patula.

β. heterotrichum: pube breviora reversa, foliolis saepe retusis.

* *γ. orthotrichum*: pube rara apressa.

a) Inter Holrivier et Mierenkasteel alt. 500—1000 ped.

(III, C); *b)* Groenekloof, alt. 200 ped. (III, E, b).

Var. *β.* Kasparskloof, alt. 2000 ped. (III, A, a).

Var. *γ.* Uknip, alt. 2000 ped. (III, B).

* 4. **VISCIDULUM**: inerme glanduloso-pubescent viride, foliolis oblongo-cuneatis, spicis paucifloris, bracteis calycis tubum subaequantibus, leguminibus curvatis glanduloso-scabris.

In collibus arenosis prope Ebenezar, alt. 300 ped. (III, E, a).

Antecedenti simillimum, et forte varietas, sed colore laete virente primo intuitu cognoscitur.

§. 2. **Spinosa**, floribus ad basin spinarum superiorum sessilibus.

5. **VELUTINUM**: spinosum, ramulis tenuissime velutinis albertibus, foliis glabris, bracteis calycis tubo brevioribus, leguminibus rectiusculis hirtis glanduloso-scabris.

a. calycibus bracteisque pilosiusculis.

β. *glutinosa*: calycibus bracteisque glaberrimis vernicatis.

a) Sneeuwbergen, e. g. prope Zuureplaats et ad montem Compasberg, alt. 4000—5000 ped. (I, c); *b)* Uitvlugt, prope Steerkloof, alt. 3800 ped. (I, d).

Var. *β.* Karakuis, in alveo fluvii exsiccati, alt. 2000 ped. (III, B).

6. **CANESCENS**: spinosum pubescens incanum, bracteis minutissimis, leguminibus curvato-subhamatis subsericeis.

In planitie karroide prope Rhinosterkop, alt. 3000 ped. (II, d).

7. **DECUMBENS**: spinosum pubescens, ramis decumbentibus, bracteis calycis tubum subaequantibus, leguminibus subincurvis hirtis.

a) Sneeuwbergen, prope Paardekraal (I, c); *b)* Nieuwveldsbergen (II, d); *c)* prope Graafreynet (II, b); *d)* prope Schiloh (I, a), ubique in saxosis, alt. 3000—4000 ped.

8. **MICROPHYLLUM**: spinosum glanduloso-scabrum, bracteis calycis tubo brevioribus, leguminibus subincurvis pubescenti-scabris.

Ononis microphylla Thunb.? fl. capens. pag. 585.

a) Sneeuwbergen, in collibus siccis saxosis, alt. 3800 ped. (I, c); *b)* Camdeboosberg, alt. 4000 ped. (II, b); *c)* in valle inter Omsamcaba et Omsamwubo, alt. 800 ped. (V, b).

T E L I N A.

Ononidis spp. Thunb.

Calyx trifidus, lacinia infima lineari, lateralibus sursum conniventibus semibifidis. **Vexillum** amplum expansum. **Carina**

arcuata obtusa vexillo brevior. Alae carina breviores. Stamina inclusa monadelpha. Legumen rectum compressum turgidulum polyspermum. — Frutices suffrutices vel herbae perennes, foliis trifoliatis, foliolis stipulisque saepe conformibus.

Nomen antiquum, Cytisi synonymon apud Dioscoridem, a Medico quondam Genistae candicanti tributum, deinde abjectum est.

§. 1. **Cytisoideae: fruticosae virgatae, habitu Cytisi, racemis vel pedunculis unifloris terminalibus vel axillaribus.**

1. **CYTISOIDES: erecta, ramis virgatis, foliolis stipulisque obverse lanceolatis hirsutis, pedunculis axillaribus superioribus unifloris longitudine foliorum, inferioribus sensim longioribus racemosis, petalis glabris, leguminibus hirsutis.**

In collibus *a*) prope Key, alt. 1000 ped. (V, b); *b*) Zaire-bergen, alt. 2500 ped. et *c*) Ado, alt. 1200 ped. (V, a).

Flores caerulei.

2. **ERIOCARPA: erecta, ramis virgatis, foliolis stipulisque obverse lanceolatis hirsutis pedunculis axillaribus unifloris foliorum longitudine, vexillo extus pubescente, leguminibus villosis.**

a) Prope Omcomas inter gramina altiora, alt. 400 ped. (V, c); *b*) in rupestribus prope Omsamcaba, alt. 800 ped. (V, b).

Ab antecedente diagnosi aegre distinguitur, etsi certe diversa sit. Robustior est, omnibus partibus obscurius viret. Ceterum utraque Cytiso virgato et affinibus admodum similis.

3. **STRIATA: erecta, ramis virgatis, foliolis stipulisque sublinearibus glabriusculis, racemis terminalibus elongatis, pedunculis infimis longioribus subbifloris, petalis glabris purpureo-striatis.**

Inter Omtata et Omsamwubo, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

Pedunculi praesertim inferiores aequae ac sequentis saepius geniculati.

§. 2. *Brachypodaefrutescensae*, habitu vario, pedunculis oppositifoliis brevibus unifloris.

4. *GENUFLEXA*: erecta, ramis subvirgatis, foliolis stipulisque sublinearibus canescenti-pubescentibus, pedunculis oppositifoliis folio vix sesquilongioribus supra medium geniculatis, vexillo extus sericeo.

a) In graminosis inter Klipplatrivier et Zwartkey, alt. 3500 ped. b) in collinis siccis prope Gaatje, alt. 4600 ped. (I, a).

Antecedenti valde similis, quamvis characteribus indicatis, petalis luteis minime striatis, calycisque laciniis magis elongatis, diversissima.

*5. *CAPNITIDIS*: prostrata, foliolis stipulisque minutissimis oblongis sericeo-argenteis, pedunculis oppositifoliis folio vix longioribus, vexillo extus hirsuto.

Witbergen, in summo quodam monte, alt. 7500 ped.

(I, a).

Habitus *Capnitidis* infra proponendae: *Foliola* lineam longa.

Flores iis antecedentis parum minores, lutei.

§. 3. *Chasmonaeae*: herbaceae vel suffruticosae plerumque procumbentes, pedunculis oppositifoliis elongatis ad apicem uni- vel multifloris.

6. *HETEROPHYLLA*: effusa, pilosiuscula, foliolis superioribus sublineari-cuneatis, stipulis lanceolatis, pedunculis oppositifoliis elongatis unifloris, vexillo extus piloso, leguminibus turgidis pilosissimis.

Ononis heterophylla Thunb. fl. cap. pag. 586.

Inter Eschenbosch et Gamtoosrivier, alt. 300 ped. (IV, C, c.)

Flores subcaerulescentes.

7. *PROSTRATA*: procumbens, foliolis obovatis subtus sericeis, stipulis petiolo multo brevioribus, pedunculis oppositifoliis elongatis unifloris, vexillo extus ad nervum medium pubescente, leguminibus compressis pubescentibus.

Ononis prostrata Linn. mant. pag. 266. Thunb. l. c.

a) Paarlberg, alt. 800—1600 ped. (III, A, e); ad montem Leenwenberg prope urbem, alt. 200 ped. (III, D, b).

Variat foliis inferioribus ternatis quinatisque. Flores caerulei.

8. **VILLOSA**: procumbens, villosa, foliolis obovatis, stipulis petiolo multo brevioribus, pedunculis oppositifoliis elongatis subunifloris, vexillo extus hirsuto.

Riebekskasteel, in fruticetis montosis, alt. 1200 ped. (III, D, a).

Flores caerulei.

9. **EXCISA**: ascendens, puberula, foliolis obcordatis obovatisve, stipulis petiolo brevioribus, pedunculis oppositifoliis elongatis 1—3 floris, leguminibus turgidulis subpubescentibus.

Ononis excisa Thunb. l. c.

Dutoitskloof, ad montes, alt. 2000 ped. (III, A, e).

Flores non vidi.

10. **VARIA**: ascendens, glabriuscula, foliolis obcordatis obovatisve stipulis petiolo brevioribus, pedunculis elongatis multifloris, floribus umbellatis vel racemosis, vexillo extus ad nervum medium pubescente.

a) Klein Draakensteen, in collibus inter frutices, alt. 1000—1500 ped.; b) Draakensteensbergen, alt. 3000 ped. (III, A, e).

Flores caerulescentes.

* 11. **ANGUSTIFOLIA**: flexuoso-erecta, pilosa, foliolis stipulisque lanceolato-linearibus, pedunculis terminalibus et oppositifoliis elongatis, floribus umbellatis, vexillo extus leguminibusque parce pilosis.

Albany, in graminosis (V, a).

Conferatur *Ononis secunda* Thunb. l. c. pag. 588. Flores lutei.

CHASMONE.

Cytisi sectio V, Lotoides, Cand.

Calyx profunde bilabiatus, labio superiori bifido inferiori tridentato. Vexillum amplum extus pubescens. Carina obtusissima genitalia includens. Stamina monadelpha. Legumen lineare polyspermum eglandulosum. — Folia trifoliata.

Nomen a verbo *χασμάω*, hio, ob calycem ringentem.

§. 1. Spica terminali.

* 1. CRINITA: villosissima, foliolis stipulisque subconformibus oblongatis, spica terminali elongata.

Trado, in collinis inter frutices, alt. 1500 ped. (IV, B, c).

Radix perennis multiceps. Caules uti tota planta villosissimi virgati simpliciusculi ad spicam usque pedales. Petiolus semipollicaris. Foliola ovato-oblonga petiolo duplo longiora, lateralia paulo obliqua. Stipulae maximae. Spica semipedalis bracteis oblongis calyce parum brevioribus. Petala lutea. Legumen deest. — Habitus peculiaris fere Thermopseos. Calyx paulo magis clausus ac reliquarum. Forte, dum fructus innotescet, semovenda.

§. 2. Racemo terminali.

2. DIVERSIFOLIA: glabriuscula, foliolis inferiorum obovatis, superiorum sublineari-lanceolatis, stipulis oblique ovatis acuminatis petiolo duplo longioribus, racemo terminali pedunculato.

In graminosis a) Katberg, alt. 3000—3500 ped. (I, a);

b) inter Zandplaat et Komga, alt. 2400 ped. (V, b).

3. BAPTISIODES: subsericeo-pubescens, foliolis oblongato-cuneatis, stipulis subulatis petiolum aequantibus, racemis terminalibus.

Katberg, in graminosis, alt. 3500—4000 ped. (I, a).

Habitu Baptisiae australis, sed flores duplo minores. Cum hujus tum antecedentis flores foliaque exsiccata nigrescunt.

4. CUNEIFOLIA: glabriuscula, foliolis obovato-cuneiformibus, stipulis subulatis, racemis terminalibus.

a. elongata: racemis elongatis subsecundis.

β. abbreviata: racemis contractioribus.

Katberg, alt. 2500—4000 ped. (I, a).

Var. *β.* in collibus graminosis inter Keiskamma et Bufelrivier, alt. 1000 ped (V, b).

5. HOLOSERICEA: foliolis obovatis supra glabris, subtus ramis leguminibusque holosericeis, stipulis subulatis petiolum brevem subaequantibus, racemis terminalibus ovatis.

Kromrivier et Van Staadesberg, in graminosis, alt. 500—1000 ped. (IV, C, c).

*6. OBCORDATA: sericeo-cinerascens, foliolis obcordatis, stipulis subulatis petiolo breviusculo minoribus, racemis terminalibus abbreviatis subtrifloris.

Uitenhaag (IV, C, c).

*7. CRASSIFOLIA: foliolis obovatis crassiusculis subtus pubescentibus, petiolo stipulisque brevissimis, racemis subtrifloris floribusve subsolitariis terminalibus.

Dichilus crassifolius mihi quondam in Ecklonis herbario.

Zwellendam (IV, B, b); infra 500 ped. alt.

§. 3. Floribus oppositifoliis subsessilibus vel brevius pedunculatis.

8. VERTICILLATA: sericea, foliolis stipulisque subaequalibus ovatis, petiolis brevissimis, floribus oppositifoliis subsessilibus ternis solitariisve.

a) Katberg, alt. 3500 ped. (I, a); *b)* inter Key et Basche, in graminosis, alt. 1500—2500 ped. (V, b).

Rarissime variat pedunculis crassiusculis folia excedentibus umbellatim trifloris.

9. SESSILIFLORA: sericeo-villosa, foliolis obovatis submarginatis petiolo dimidias stipulas oblique ovatas vix aequantibus, floribus oppositifoliis subsessilibus ternis solitariisve.

a. interrupta: major, foliis floribusque magis distantibus, stipulis latissimis.

β. parvifolia: minor, foliis floribusque magis approximatis, stipulis angustioribus sublanceolatis longe acuminatis.

γ ? stipulis petiolum vix aequantibus, ex ovata basi acuminato-subulatis.

Windvoogelberg, in collibus saxosis alt. 3500 ped. (I, a).

Var. β . a) Mooyplaats, in collibus saxosis, alt. 4800 ped., et b) Wittbergen in summo quodam monte, alt. 7500 ped., (I, a).

Varietates α et β primo aspectu dissimillimae, quo diutius comparas, eo magis confluent. Quin etiam de tertia varietate non haesitarem, nisi hujus speciminula nimis manca essent.

10. APICULATA: subsericeo - pubescens, foliolis obovatis acuminato - apiculatis venoso - lineatis, superioribus sublanceolatis, stipulis subulatis petiolum brevissimum superantibus, floribus oppositifoliis solitariis breve pedunculatis.

Ado, in graminosis, alt. 1000 ped. (V, a).

Sequenti perquam affinis, sed pedunculi nunquam elongati, foliola semper angustiora, superiora saepe angustissima, pubes appressa brevior minusque nitens in utraque pagina, venae parallelae nec manifeste reticulatae. Nihilo minus ne mera illius varietas sit, vereor.

§. 4. Pedunculis elongatis racemisve oppositifoliis.

11. VENOSA: foliolis obovatis venoso - reticulatis supra glabris, subtus sericeo - villosis, stipulis lineari - subulatis petiolum brevem superantibus, racemis oppositifoliis secundis subtrifloris longe pedunculatis.

β . obscura: caule pedunculis paginaque foliorum superiore patentim pilosis, colore omnium partium obscuriore.

Albany, in graminosis, alt. 1500 ped. (V, a).

Var. β . Katberg, alt. 3500 ped. (I, a).

Varietas altera ad primam ita fere se habet ac *Potentilla opaca* ad vernam; eodemque modo pleraeque hujus generis species plus minusve variare solent.

12. ASCENDENS: pubescens, foliolis ellipticis acutis subsericeo - marginatis stipulis ovatis reflexis minutis petiolo brevissimo longioribus, pedunculis oppositifoliis elongatis subunifloris.

Inter Omcomas et Omblas, in graminosis, alt. 400 ped.

(V, c).

13. ANDREWSIANA: subsericeo-hirsuta, foliolis ovatis marginatis, petiolo dimidia; foliola superante, stipulis lanceolato-subulatis, racemis oppositifoliis terminalibusque elongatis interruptis, leguminibus pubescentibus.

Cytisus tomentosus Andr. bot. repos. tab. 237.

Goodia lotifolia Hortul. auctore Cand. in prodr. II pag. 118 sub *G. polysperma*.

* β . *umbellata*: minor, ramis decumbentibus, foliolis obtusioribus, pedunculis elongatis apice umbellatim subtrifloris.

In fruticetis *a*) inter Omcomas et Port Natal, ad fluyios et rivulos (V, c), *b*) prope Enon (V, a), alt. 50—500 ped.

Var. β . Port Natal, in graminoso depresso, alt. 80 ped. (V, c).

Ad hanc speciem proxime accedit *Chasmone calycina* seu *Cytisus calycinus* M. Bieb. taur. caucas. II, pag. 166, quam (ad specimina culta) sic definirem: foliolis obovatis subtus pilosis submarginatis, petiolo foliola subaequante, stipulis lanceolato-subulatis, corymbis oppositifoliis terminalibusque, leguminibus subvillosis.

14. RUPESTRIS: sericeo-hirsuta, foliolis oblongis, petiolo foliola subaequantibus; stipulis minutis subulatis, umbellis oppositifoliis terminalibusve longe pedunculatis subquadrifloris.

Stormberg, in rupestribus, alt. 5500 ped. (I, a).

15. ARGENTEA: sericeo-hirsuta, foliolis inferioribus obovato-oblongis summis lanceolatis, petiolo foliola aequante, stipulis subulatis, pedunculis oppositifoliis terminalibusque 1—3-floris, bracteis subtrifoliatis.

Cytisus argenteus Linn. sp. pl. pag. 1043. Desfont. atlant. II, pag. 139.

β . *pilosa*: pilis longioribus patentibus.

Habitat praeter Europam australiorem Africamque septentrionalem — *a*) prope Klaarstroom et Kendo, alt. 2600—3400 ped. (II, e); *b*) Kamiesbergen, alt. 3200 ped. (III, A, a); *c*) Camdeboo, prope Hamerkuil, alt. 3000 ped. (II, b).

Var. β . *a*) inter Gekan et Basche, in graminosis, alt. 1500 ped. (V, b); *b*) Modderfontein ad Brakrivier, in montibus saxosis, alt. 2800 ped. (V, a); *c*) Nieuweveld, prope Gansefontein, alt. 3600 ped. (I, d).

16. LANCEOLATA: sericeo-hirsuta, foliolis infimis ellipticis, reliquis lanceolatis supra virentibus subtus argenteis, petiolis foliola aequantibus, stipulis oblique ovatis acuminatis, pedunculis oppositifoliis terminalibusque longissimis 1—3-floris, leguminibus subtorulosis.

Dichilus lanceolatus mihi quondam in Ecklonis herbario.

an *Ononis sericea Thunb.*? fl. cap. pag. 586.

Inter frutices *a*) Dutoitskloof, alt. 3000 ped.; *b*) Paarlberg, alt. 1500 ped.; *c*) Tafelberg, alt. 2000 ped. (III, A, e); *d*) ad Bergrivier, alt. 400 ped. (III, D, a).

17. STRICTA: sericeo-villosa, caule erecto rigidiusculo, foliolis oblongo-lanceolatis petiolo longioribus, stipulis lineari-subulatis subfalcatis, pedunculis oppositifoliis unifloris folium subaequantibus terminalibusque abbreviatis.

a) Inter Klipplaatrivier et Zwartkey, in collibus graminosis, alt. 4000 ped. (I, a); *b*) in collibus arenosis inter frutices prope Zwartbastkraal, alt. 800 ped. (III, E, a).

18. PETIOLARIS: sericeo-velutina, foliolis obovato-oblongis petiolo rigido persistente multo brevioribus, stipulis minutissimis, pedunculis oppositifoliis terminalibusque unifloris petiolo brevioribus.

In collibus prope Uitkomst, alt. 2200 ped. (III, C).

19. ANGUSTISSIMA: sericeo-hirsuta, foliolis linearibus convolutis, petiolo stipulis subulatis parum longiore, umbellis quadrifloris terminalibus vel oppositifoliis.

Locis siccis montis Paarlberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e).

Flores lutei rubro-variegati. Hujus varietam, nisi speciem huic proximam, sistit specimen singulum caule simplici erecto filiformi, petiolis dimidia foliola aequantibus, floribus fere duplo minoribus. Quodsi species esset, *Ch. tenuem* dicere placeret.

L I P O Z Ÿ G I S.

Ononidis species Auctt.

Calyx quinquefidus, lacinia inferiore angustiore, collateralibus binis utrinque coadunatis. Carina vexillo alisque longior fornicata submarginata genitalia praeter stigma includens. Stamina monadelpha. Legumen compressiusculum rectum breve rarissime subfalcatum polyspermum.

Fruticuli multicaules effusi procumbentes vel prostrati, radice ad modum herbarum annuarum tenui perpendiculari simpliciuscula. Folia trifoliata rarius quinata, stipula plerisque solitaria unilaterali, unde nomen generis, a verbo λιπόζυγος, i. e. altera parte destitutus, ad alterius stipulae defectum alludens. Flores lutei, rarissime ex rubello variegati. Differt a *Telina* carina vexillum superante, a *Chasmona* calycis structura ad illam *Telinae* accedente.

§. 1. Umbellis racemisve terminalibus et oppositifoliis longe pedunculatis.

1. UMBELLATA: pubescens, foliis trifoliatis, foliolis obovatis subretusis, umbellis racemisve terminalibus et oppositifoliis longe pedunculatis, bracteis minutis.

Ononis umbellata Linn. mant. pag. 266.

In collibus frutectosis a) Klein Draakensteen (III, D, a); b) Dutoitskloof (III, A, e); c) inter Buffeljagtsrivier et Kar-melksrivier (IV, B, b), alt. 500—1000 ped.

Species et habitu et characteribus a reliquis paulo longius distans. Admodum similis *Loto corniculato* β. uliginoso. Caules ramique longissimi diffusi subherbacei, radix contra lignosa, sed nihilominus napiformis. Umbellae racemique promiscue in eadem planta occurrunt, nec umbellae sensim in racemos abeunt, sed utraque inflorescentia immutata fructum profert.

§. 2. Umbellis oppositifoliis brevissime pedunculatis 2—4-floris.

2. ERUBESCENS: appresse puberula subcanescens, foliis trifoliatis, foliolis subrotundo-obovatis, peduncalis oppositifoliis petiolum aequantibus umbellatim subquadrifloris.

a. macrophylla, foliolis 3—4 lineas longis:

β. microphylla: rigidior, caulibus lignosis ramis tortuosis, foliolis vix lineam longis. (An prioris varietatis status vetustior?)

Klein Vischrivier, locis asperis, alt. 1800 ped. (V, a).

Var. *β.* Zwanepoelspoort, in asperis, alt. 2000 ped. (II, e).

Flores in genere fere minutissimi. Carina ad apicem eleganter erubescens, vexillum ad nervum medium subpubescens.

3. **QUINATA**: puberula, foliis quinatis minutissimis, foliolis cuneato-sublinearibus, pedunculis oppositifoliis brevissimis subbifloris.

Ononis quinata Thunb. fl. capens. pag. 589.

Kamiesbergen, in saxosis prope Modderfontein, alt. 4000 ped. (III, A, a).

Planta pusilla prostrata. Flores paulo majores ac antecedentis, petalis glabris, ut reliquorum omnium, praecedente excepta, luteolis.

§. 3. Floribus oppositifoliis solitariis vel fasciculatis.

*4. **HUMIFUSA**: ramis filiformibus pubescentibus, foliis trifoliatis, foliolis obovatis subtus subpuberulis petiolo paulo longioribus, floribus oppositifoliis solitariis breve pedunculatis, vexillo puberulo, leguminibus compressis ad suturas laevibus tetraspermis.

Ononis decumbens Thunb.? fl. capens. pag. 596.

a) Prope Schiloh, in collibus saxosis, alt. 3600 ped.

(I, a); *b)* ad radices montium Witbergen, alt. 4800 ped.

(I, a).

Thunbergii descriptio non repugnat, sed ne noverit plantam nostram dubito.

*5. **RADULA**: ramis rigidiusculis pubescentibus, foliis trifoliatis, foliolis obovatis subtus pubescentibus, petiolo paulo brevioribus, floribus oppositifoliis solitariis pedunculatis, vexillo

puberulo, leguminibus turgidulis ad suturam superiorem tuberculoso-scabris polyspermis.

Nieuwe Hantom, alt. 4200 ped. (I, b).

Antecedente robustior et omnibus partibus fere duplo major. Flores utriusque lutei.

6. CALYCINA: ramis subfiliformibus pubescentibus, foliis trifoliatis, foliolis obovatis petiolo subaequalibus subtus hirsutis vel subglabratibus, floribus oppositifoliis subsessilibus ternis solitariisve, petalis hirsutis leguminibusque turgidulis pilosis calyce demum aucto vix longioribus.

a) Katberg; b) in collinis prope Schiloh; c) prope Klipplaatrivier (I, a), undique alt. 3400—4000 ped.; d) Bothasberg, alt. 1600 ped. (V, a).

Variat subsericeo-pubescentibus glabriuscula et fere lanuginosa. Flores lutei.

7. BRACHYLOBA: appresse pubescens caule subgeniculato, foliis trifoliatis, foliolis obovato-ellipticis, floribus oppositifoliis subsessilibus ternis, vexillo apice subhispidulo, leguminibus compressiusculis acutis appresse pubescentibus.

Karakuis, alt. 2000 ped. (III, B).

8. TENELLA: erectiuscula pubescens, foliis trifoliatis, foliolis cuneato-sublinearibus, floribus oppositifoliis solitariis brevis pedunculatis, petalis glabris, leguminibus turgidulis sordide villosiusculis.

β . sericea.

γ . piloso-villosa.

Zwartbulletje, in collibus siccis, alt. 2500 ped. (II, d).

Var. β . In asperis collinis a) Sneeuwbergen, alt. 4800 ped. (I, c); b) prope Schiloh, alt. 3800 ped. (I, a); c) prope Klein-Vischrivier, alt. 2500 ped. (V, a).

Var. γ . a) Klarstrom, in collibus siccis saxosis, alt. 2400 ped. (II, e); b) Ado, alt. 1200 ped. (V, a).

9. FALCATA: procumbens appresse pubescens, foliis trifoliatis, foliolis oblongo-cuneatis, floribus oppositifoliis geminis

brevissime pedunculatis, carina ad nervum medium puberula, leguminibus linearibus subfalcatis.

a) Ad Garip prope Verleptpram, alt. 300 ped. (III, B);

b) Ebenazar, in collibus arenosis, alt. 300 ped. (III, E, a).

Habitu antecedentibus simillima, legumine longiori subfalcato in toto genere singularis.

§. 4. Racemis abbreviatis capitulisve terminalibus vel etiam lateralibus.

10. MOLLIS: caulibus nanis erectiusculis, foliis longe petiolatis trifoliatis sericeo-cinerascentibus, foliolis oblongo-cuneatis, racemis terminalibus subquadrifloris foliis brevioribus, bracteis subulatis, petalis subsericeo-hirsutis.

Leliefontein, alt. 4000 ped. (III, A, a).

11. CORYMBOSA: hirsuta, caulibus ascendentibus subsimplicibus, foliis trifoliatis, foliolis obovato-oblongis, corymbo terminali subcapitato, petalis pubescentibus.

In collibus graminosis prope Omtata, alt. 800 ped. (V, b).

12. POLYCEPHALA: sericeo-villosa, caulibus prostratis simpliciusculis, foliis trifoliatis, foliolis obovatis, capitulis axillaribus pedunculatis petiolum subaequantibus, bracteis imbricatis late ovatis breve acuminatis, petalis pubescentibus.

Kamiesbergen, alt. 3500 ped. (III, A, a).

Folia in toto genere maxima, foliolis 6—8 lineas longis, petiolis foliorum primorum ex fundo radicis ortorum 15—18 lineas, caulinarum circiter 6—9 lineas longis. Habitus alienus, praesertim ob bracteas magnas imbricatas: structura omnino generis.

13. PENTAPHYLLA: sericeo-hirsuta, caulibus procumbentibus ramosis, foliis quinatis, foliolis obovatis complicatis, capitulis terminalibus alaribusque subsessilibus, bracteis sublineariibus petalis hirsutiusculis.

Karakuis, alt. 2000 ped. (III, B).

§. 5. Species stipulis binis desciscentes.

14. PEDUNCULARIS; caulibus ramisque flexuoso-ascendentibus, foliis trifoliatis pilosis, foliolis stipulisque binis subcon-

formibus cuneato-linearibus, umbellis racemisve terminalibus longe pedunculatis paucifloris, bracteis lanceolato-linearibus calycibusque puberulis.

a) Prope Paarl, in arenosis, b) Groenekloof in collibus argillosis, alt. 400 ped. (III, D, a).

Inflorescentia ad *L. umbellatam* accedit, cui, stipulis neglectis, associanda foret; reliquis omnibus totoque habitu sequenti certe proxima et vere affinis.

15. INVOLUCRATA: piloso-hirsuta, caulibus prostratis elongatis, ramis ascendentibus, foliis trifoliatis, foliolis stipulisque binis conformibus linearibus acutis, capitulis terminalibus paucifloris, bracteis linearibus calycibusque sublanatis.

Ononis involucrata Berg. capens. pag. 213. (descr. optima),

Thunb.? fl. capens. pag. 587. (descr. minus bona).

Paarlberg, in fruticetis saxosis, alt. 800 — 1500 ped. (III, A, e).

16. CARINATA: subpuberula, caulibus ramisque filiformibus elongatis ascendentibus, foliis trifoliatis, foliolis sublineari-cuneatis, nervo medio subtus prominente, stipulis binis subulatis petiolo brevi brevioribus, floribus terminalibus et oppositifoliis ternis subsessilibus.

Inter Omsamculo et Omcomas, alt. 400 ped. (V, c).

Vix ulli propior quam *L. tenellae*, sed ab hac etiam quum characteribus tum habitu singulari discrepat.

† Hujus generis esse videtur *Ononis parviflora* Berg. capens. pag. 214, a me non visa quidem, sed ex descriptione pone *L. tenellam* inserenda, a qua differre videtur: foliis longe petiolatis, foliolis longioribus ramisque villosis-scabris, floribus quaternis subsessilibus.

L I S T I A.

Calyx trifidus, lacinia infima angustiore, lateralibus semibifidis. Carina vexillo alisque longior. Stamina monadelphica. Legumen lineari-compressum de lateribus flexoso-anfractuosum.

Dixi in memoriam Fr. L. List, apud gymnasium regium Tilense ordinum superiorum praeceptoris, cujus in floram Borussiae merita non solum Spicilegium ejus botanicum, Tilsae 1828 editum, sed multo magis herbarium horti regii Regiomontani, egregie ab eo amplificati, docent.

I. HETEROPHYLLA.

Herba repens, ni fallor annua, caulibus ramisque filiformibus, foliis petiolatis stipulatis, 3—5-foliatis, foliolis sublinearibus, intermedio longiori, stipulis ovato-lanceolatis liberis petiolo multo brevioribus. Racemi subspicati oppositifolii ascendentes foliis 2—3-plo longiores. Flores lutei.

a) In collibus siccis saxosis prope Gaatje, alt. 4600 ped.;

b) in planitie prope Wildschutshoek, alt. 4000 ped. (I, a).

CAPNITIS.

Calyx tubulosus quinquefidus, lacinia infima minutissima. Carina genitalia omnino includens. Reliqua Lipozygeos.

Herbae pusillae multicaules procumbentes vel erectiusculae, ut ex radice tenui simplici conjicio, annuae, di- vel trichotome ramosae. Folia minutissima trifoliata, stipulis subsolitariis unilateralibus, ad dichotomias conferta. Flores 1—4 ad dichotomias subsessiles tenuissimi pubescentes.

Nomen a verbo *καπνός*, i. e. Fumaria, similitudinem cum hoc genere indicat.

1. PORRECTA: procumbens, petalis omnibus calyce longioribus (luteolis).

Prope Zwartbulletje, alt. 2500 ped. (II, d).

2. CLANDESTINA: erectiuscula, vexillo alisque calycem vix aequantibus (cum carina subrubellis).

In planitie inter Verleptpram et Natvoet, alt. 600 ped.

(III, B).

HALLIA Thunb.

1. ALATA THUNB. — Cand. l. c. pag. 123.

Hottentottsholland, Draakensteen, Daal Josaphat et Vierentwintigrivier, in collibus argillosis, alt. 400—800 ped.

(III, D, a).

2. ANGUSTIFOLIA CAND. l. c.

a) Wynberg (III, D, b) *b)* inter gramina planitiei inter Bethelsdorp et Van Staadesrivier, (IV, C, c), alt. 500 ped.

3. CORDATA THUNB. — Cand. l. c.

a) Tafelberg et Dutoitskloof, in rupestribus alt. 2000—3000 ped. (III, A, e); *b)* Groot Draakensteen, alt. 600 ped. (III, D, a); *c)* Zuurebergen, alt. 2500 ped. (V, a); *d)* Paarlberg in umbrosis, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e).

Species maxime polymorpha. *H. flaccida* Thunb., stipulis reflexis (non Cand., stipulis erectis) mera hujus varietas angustifolia esse videtur.

4. ASARINA THUNB. — Cand. l. c.

Inter Zandplaat et Komga, in graminosis, alt. 2000—2500 ped. (V, b).

Antecedentis varietatem latifoliam esse suspicor.

5. IMBRICATA THUNB. — Cand. l. c.

In collibus humidiusculis inter frutices *a)* Klein Draakensteen (III, D, a); *b)* Boschkloof et Wupperthal (III, A, d); ad montem Paarlberg (III, A, e); *d)* prope Tulbagh, (IV, B, b), undique inter 400—1600 ped. alt.

PSORALEA Linn.

Genus, a clo Candolle Clitoriis insertum, huc referre malui ob summam cum Hallia atque Trifolio affinitatem. Species pinnatas non obstare, Anthyllis docet.

§. 1. Floribus axillaribus sparsis.**†1. ARBOREA SIMS. — Cand. l. c. pag. 216.**

Ad montem Duivelsberg, (III, A, e), alt. 1000—2000 ped., legit Ecklon.

2. PINNATA LINN. — Cand. l. c.

In humidis *a)* prope urbem (III, B, b); *b)* Dutoitskloof, alt. 1000—2500 ped. (III, A, e); *c)* Cederbergen, alt. 4000 ped. (III, A, d); in rupestribus Langekloof, alt. 1800 ped. (IV, B, c); *e)* ad margines sylvae prope Ruigtevallei, alt. 300 ped. (IV, C, c).

3. **GLABRA**: foliis pinnatis 2—3-jugis cum impari, foliolis linearibus ramulisque glabris, stipulis minutis membranaceis marcescentibus, pedunculis axillaribus subsolitariis rachin foliorum aequantibus, calycis glabriusculi laciniis subaequalibus obtusis.

a) Witbergen, ad rivulos, alt. 4500—5000 ped. (I, a);

b) Camdeboosberg, alt. 4000 ped. (II, b); c) ad rivulum inter Omsamwubo et Omsamcaba, alt. 1000 ped. (V, b);

d) in praeruptis ad Piquetberg, alt. 1500 ped. (III, A, d).

Ps. laevigata Linn. fil. esse nequit propter stipulas membranaceas floresque violaceo-striatos.

4. **VERRUCOSA** WILLD. — Cand. I, c.

Langekloof in vallibus humidis, alt. 1800 ped. (IV, B, c).

Plantae sponte natae foliola semper multo angustiora quam cultae, nonnunquam angustissima. Quam ob rem varietatem β apud cl. Candolle pro forma principe habeo.

5. **AXILLARIS** LINN. FIL.: glaberrima, foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis lineari-spathulatis submucronatis, intermedio majori, pedunculis axillaribus subsolitariis, folia aequantibus, calycis laciniis subaequalibus obtusis. — Cand. I, c.

Ps. linearis Thunb. fl. cap. pag. 606.

Ad ripas fluvii Van Staadesrivievier, alt. 100 ped. (IV,

C, c).

Stipulae minutae post folia dejecta indurescunt. Cf. *Ps. laevigata* Linn. fil. suppl. pag. 339.

6. **TENUIFOLIA** LINN. — Cand. I, c.

Ad ripas fluviorum a) Basche, alt. 500 ped. (V, b);

b) Klaarstroom, alt. 2200 ped. (II, e); c) ad montem Hexrivierberg, alt. 2500—3000 ped. (IV, A, b).

Foliola obtusiuscula mucronulata. Stipulae erectae. Pedunculi solitarii, rarius bini ternive, nec plures. Calycis lacinae obtusae. Vexillum violaceo-striatum.

7. **FASCICULARIS** CAND. I, c.

Onder Bokkeveld, alt. 2400 ped. (III, A, c).

Antecedenti fere nimis propinqua. Sed foliola in mucronem attenuata, stipulae patentes, pedunculi saepe 8—10 fascicu-

lati, etsi nonnunquam etiam solitarii; calycis lacinae acutae, vexillum flavescens. Carina utriusque speciei apicem versus utrinque saepe violaceo-maculata.

8. APHYLLA LINN. — Cand. l. c.

β . *unifoliata*: foliis omnibus vel plerisque unifoliatis.

Ps. decidua Berg. capens. pag. 220.

$\dagger \gamma$. *trifoliata*: foliis omnibus vel plerisque trifoliatis.

Ps. filiformis Poir. enc. bot. V, pag. 683.

In humidis *a*) ad Bergrivier et in Klein Draakensteen, (III, D, a); *b*) inter Kampsbaai et Tafelberg (III, D, b), alt. 100—400 ped.; *c*) Dutoitskloof, alt. 1600 ped. (III, A, e).

Var. β . *a*) Dutoitskloof in rupestribus humidioribus, alt. 2400 ped. (III, A, e); *b*) Vierentwintgrivier, alt. 800 ped. (III, D, a); *c*) Wupperthal, alt. 1600 ped. (III, A, d).

Var. γ . crescit promiscue cum prioribus.

Folia non decidere, ut Bergio placuit, sed plerumque, stipulis exceptis, omnino deesse, specimina juniora docent. Interea varietates indicatae multifariam inter se confluunt.

9. TENUISSIMA: glaberrima caulibus filiformibus ascendentibus, foliis trifoliatis, foliolis angustissime linearibus, pedunculis axillaribus solitariis dimidio folio longioribus, calycis laciniis lanceolatis.

Dutoitskloof, in montosis asperis, alt. 2500—3000 ped. (III, A, e).

Petiolus $1\frac{1}{2}$, foliola subaequalia 6—9 lin. longa. Flores intense violacei.

* 10. REPENS LINN. — Cand. l. c.

In collibus arenosis prope Port Elizabeth, infra 100 ped. alt. (IV, C. c).

11. OBLIQUA: foliis trifoliatis brevissime petiolatis, novellis ramulisque piloso-hirtis, adultis lucidis, foliolis subretusis recurvato-mucronatis, intermedio obovato-cuneato, lateralibus oblique oblongis, pedunculis axillaribus subternis dimidio folio brevioribus, calycis laciniis ovatis longe acuminatis.

In montosis rupestribus humidioribus *a*) prope Stellenbosch, *b*) ad montem Paarlberg, *c*) Dutoitskloof, undique alt. 1000—2000 ped. (III, A, e).

Frutex firmior valde ramosus, ramis ramulisque erectiusculis. Foliola 5—8 lin. longa, 2—5 lata. Stipulae ovatae petiolo vix longiores deciduae. Flores inferiores nonnunquam pedunculo communi brevissimo in umbellam trifloram collecti, saepius autem fasciculati, folia vix aequantes. Petala exsiccata decolora, carina apicem versus caerulescente.

12. SPATHULATA: pilosa, foliis trifoliatis brevius petiolatis, foliolis subaequalibus spathulato-linearibus subrecurvato-mucronatis rigidis, pedunculis axillaribus subsolitariis brevibus ebracteatis, calycis profunde quinquefidi subalbentis venoso-reticulati lacinia infima majore obovata acuminato-mucronulata reliquis oblongo-lanceolatis acutis mucronulatis.

Dutoitskloof, in montosis rupestribus, alt. 3000—4000 ped.
(III, A, e).

Fruticulus rigidus, habitu fere Eriosematis, glandulis minutis pallidis. Foliola 1—1½ pollices longa, 2—3 lineas lata. Stipulae lanceolato-subulatae petiolo duplo longiores.

13. CARNEA: ramulis hirtis, foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis cuneiformibus recurvato-mucronatis glabris margine carinaque ciliatis, floribus subracemosis, pedunculis axillaribus subternis brevibus, calycis pallide virentis fusco-reticulati laciniis ciliatis acuminato-mucronatis, infima majore late ovata, reliquis lanceolatis.

Prout videtur, lecta in regione III, D, a.

Quoad folia sequenti proxima. Foliola paulo majora minusque complicata. Petala venis carneis reticulata, carina ad apicem intense violacea.

* 14. ACULEATA LINN. — Cand. l. c.

In rupestribus ad montem prope Stellenbosch, alt. 1600
(III, A, e).

Flores non sessiles, sed brevius pedunculati sub calyce tribracteati, bracteis pro more generis ad basin cohaerentibus. Calycis glanduloso-nigricantis lacinia major ab initio, reliquae post florescentiam, carinatae.

15. DECUMBENS AIT. — Cand. l. c.

a) Klipfontein (III, E, b); *b*) sub monte Tafelberg (III, D, b), alt. 300—400 ped.

Ab omnibus antecedentibus differt floribus sessilibus, saepe jam fere spicatis.

§. 2. Floribus in apice ramorum confertis.

16. BRACTEATA LINN. — Cand. l. c. pag. 218.

* *a*. *Curtisiana*: bracteis late ovatis florem subaequantibus.

Ps. bracteata Curt. bot. magaz. tab. 446.

β. *Jacquiniana*: bracteis lanceolatis vix calyce aequalibus.

Ps. bracteata Jacq. hort. schoenbr. tab. 224.

Var. *α*. (III, A, e).

Var. *β*. — *αα*. *tortuosa*: ad oras fluvii Zwartkopsrivier (IV, C, c). — *ββ*. *stricta*: ad fluvios *a*) Keureboomsrivier, alt. 1200—1500 ped. (IV, B, c); *b*) Van Staadesrivier, alt. 600 ped. (IV, C, c).

Species in posterum, ut puto, dividenda. Sed bractearum forma non omni caret variabilitate.

17. DENSA: foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis obovatis recurvato-mucronatis glabriusculis, capitulis terminalibus sessilibus densifloris ebracteatis.

Kaymangat, alt. 500 ped. (IV, C, b).

Ab antecedente differt foliis floribusque minoribus magisque condensatis, bractearum defectu, carinaque non albente sed intense caeruleo-subnigricante.

18. PARVIFLORA: foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis obovato-subrotundis subrecurvato-mucronatis, spicis terminalibus continuis flexuosis, calycis hirsuti laciniis lanceolatis, infima elongata petala superante.

Dutoitskloof, alt. 800 ped. (III, A, e).

† 19. SPICATA LINN. — Cand. l. c.

Zwarteberg, prope Steenboksrivier, (IV, B, b) leg. Ecklon.

Ab antecedente differt foliolis oblongo-cuneatis, spicis rectis, calycisque laciniis subaequalibus petalis brevioribus.

20. **RACEMOSA THUNB.**: foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis obovato-cuneatis complicatis recurvato-mucronatis glabris, racemis terminalibus subspicatis elongatis aphyllis interruptis, floribus subternatis, calycis valde glandulosi laciniis subaequilongis acuminatis, superioribus binis semiconnatis, infima duplo latiore. — Cand. l. c.

Roodeberg, alt. 3800 ped. (III, A, a).

21. **ARGENTEA THUNB.**: foliis trifoliatis petiolatis, foliolis obovatis recurvato-submucronatis subsericeo-pubescentibus, racemis terminalibus subspicatis aphyllis interruptis, floribus ternis, calycis subglandulosi laciniis subaequilongis acutis, superioribus binis semiconnatis, infima vix latiore.

Krakkeelkraal, alt. 3500 ped. (III, A, a).

§. 3. **Spicis racemis umbellisve axillaribus pedunculatis.**

22. **HIRTA LINN.**: canescenti-pubescentibus, ramis rigidis divaricatis, foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis obovatis recurvato-submucronatis, spicis terminalibus et axillaribus pedunculatis interruptis, floribus subternis. — Linn. amoen. VI, pag. 93. Jacq. hort schoenbr. tab. 228. (non Thunb.).

Ps. stachydis Linn. fil. suppl. pag. 335.

Ps. stachyos Thunb. fl. cap. pag. 608.

Paarlberg, in rupestribus, alt. 500—1000 ped. (III, A, e).

Jacqini icon spicas omnes, praecipue laterales abbreviatae sistit, quae in planta sponte nata elongatae et ter vel quinque interruptae esse solent. Ceterum non differt. De *Ps. hirta* Thunb. cf. *Ps. triantha* nobis.

23. **STRIATA THUNB.**: pubescenti-subcanescens, ramis rigidis erectiusculis, foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis obovato-ellipticis recurvato-submucronatis, spicis terminalibus et axillaribus pedunculatis densifloris oblongis. — Cand. l. c.

Onder Bokkeveld, in depressis rupestribus prope Grasbergrivier, alt. 2400 ped. (III, A, c).

24. **CEPHALOTES**: foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis complicatis recurvato-mucronatis, inferioribus obovato-

cuneatis, superioribus linearibus, capitulis ovatis terminalibus et axillaribus pedunculatis, calycis laciniis laceolatis hirsutis petala subaequantibus.

a) Klein Draakensteen, alt. 500 ped. (III, D, a); *b)* inter Simonsberg et Tygerberg, alt. 300 ped. (III, E, b).

Variat foliolis vix 3 lineas et ultra pollicem longis, late obovatis et angustissime linearibus, idque saepe in eodem specimine. Nihilominus habitu peculiari notisque indicatis facile distinguitur.

25. **TRIANTHA:** foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis lineari-spathulatis complicatis recurvato-mucronatis, umbellis axillaribus trifloris breve pedunculatis, summis in racemum spurium confertis.

Ps. hirta Thunb. fl. cap. pag. 609 (nec Linn. nec Jacq.).

Ps. triflora Poir. encycl. bot. V, pag. 683 (non Thunb.).

a) Locis humidis ad Bergrivier; *b)* in collibus prope Lauwskloof (III, D, a); *c)* in arenosis ad Breederivier (IV, B, b); *d)* in fruticetis ad Zwartkopsrivier (IV, C, c), undique infra 800 ped. alt.

Ps. decumbenti similis, etsi omnino erecta sit, sed inflorescentia primo intuitu spicam foliosam mentiente, revera tamen umbellis axillaribus composita insignis. Descriptiones utriusque auctoris bonae, nomina rejicienda.

26. **OBTUSIFOLIA CAND.,** canescenti-velutina, ramis virgatis, foliis trifoliatis longe petiolatis, foliolis obovatis subplicatis irregulariter denticulatis, medio subpetiolato, spicis axillaribus breve pedunculatis 3—6-floris petiolum vix aequantibus calycibus villosissimis. — Cand. l. c. pag. 221.

a) Ad ripas fluvii Garip prope Verleptpram, alt. 300 ped. et in insula ad ejusdem ostia (III, B); *b)* in planitie sicca prope Rhinosterkop, alt. 2600—3000 ped. (II, d).

27. **CAPITATA THUNB.** — Cand. l. c. pag. 218.

Ps. multicaulis Jacq. hort. schoenbr. tab. 230.

Ps. astragalina Poir. encycl. bot. suppl. IV, pag. 587.

In umbrosis humidis *a)* ad Bergrivier, alt. 400 ped. (III, D, a); *b)* Boschkloof et Wupperthal, alt. 800—1600 ped. (III, A, d); *c)* Langekloof, alt. 2000 ped. (IV, B, c); *d)* Bothasberg, prope Klipfontein, alt. 1600 ped. (V, a).

Icon Jacquini plantam bene exprimit; at in planta sponte nata flores semper dense spicato-capitati spicis longe pedunculatis terminalibus et axillaribus, folio uno alterove simplici elongato involucratis; nec unquam tam dispersi sunt, quam in ramo ad dextram sito iconis laudatae. Proxima mihi quidem videtur Ps. bituminosae.

*28. PROSTRATA LINN. — Cand. l. c. 221.

In planitie prope urbem, infra 100 ped. alt. (III, E, b).

Legumen calyce fere triplo longius ovatum compressum obtusum membranaceum subdispermum. Quae ad novum genus condendum non sufficere videntur.

§. 4. Species minus cognita.

*29. VELUTINA: foliis trifoliatis brevissime petiolatis canescenti-velutinis, foliolis obovatis retusis muticis.

Sub montibus Zwartebergen, in depressis humidiusculis prope Klaarstroom alt. 2200 ped. (II, e).

Flores fructusque ignoti, sed absque dubio hujus generis et a speciebus cognitis satis differens. Fruticulus erectus rigidior ramosissimus, ramulis junioribus canescenti-velutinis. Folia approximata, foliolis 3—4 lineas longis crassiusculis, glandulis numerosis ex luteo fuscescentibus. Stipulae minutissimae.

HIDROSIA.

Calyx quinquefidus, laciniis longitudine subaequalibus, superioribus paulo minus profunde partitis. Vexillum striatum basi utrinque subappendiculatum, alis longius carina brevius. Alae hinc calcaratae ad basin carinae adhaerentes. Carina incurvata obtusissima. Stamina diadelpa, decimum ad basin geniculatum. Stylus filiformis exsertus glaber, stigmatate capitellato hispidulo. Legumen stipitatum compressum oblique ovatum dispermum, ad basin angulo fere recto inflexum. — Frutex Ononidis vel Psoraliarum quarundam facie, hirsutus, glanduloso-glutinosus. Stipulae ovatae acuminatae. Folia trifoliata. Foliola obovata vel sublan- ceolata recurvato-mucronata, transversim bullato-undulata, im-

par petiolatum. Flores axillares solitarii pedunculati nutantes.
— Nomen a verbo *ιδρώω*, desudo, ob totius plantae superficiem
exsudentem.

1. BULLATA.

Wupperthal, in montosis rupestribus, alt. 1800—2600
ped. (III, A, d).

SUBTRIBUS II. TRIFOLIEAE CAND.

TRIFOLIUM Linn.

1. ANGUSTIFOLIUM LINN. — Cand. I. c. pag. 189.

Haud procul ab agris prope Vierentwintgrivier, et ad
sepes hortorum prope Paarl, alt. infra 500 ped. (III, D, a).

A planta Europaea omnino non diversa. An ex hortis
aufuga?

2. MICROPETALUM: hirsutum, caule erectiusculo, foliolis
obovato-oblongis retusis denticulatis striatis, stipulis membra-
naceis latis nervosis longe subulatis, capitulis oblongis, calycis
tubo subventricoso decemcostato, laciniis subulatis tubo corol-
lae longioribus erectis.

1835 a. minus: foliolis brevioribus latioribusque, spicis subsessilibus.

1836 b. majus: foliolis angustioribus longioribusque, spicis pedun-
culatis.

Haud procul a maris littore in pratis arenosis a) prope
Saldanhabaai (III, E, b), et b) prope Algoabaai (IV, C, c).

Var. β . inter gramina ad ostia Gouritzrivier (IV, C, a).

Affine Fr. Bocconi atque striato, ab illo hirsutiae, ab
utroque calycis laciniis tubo longioribus diversum. Cf. Tr. sti-
pulaceum Thunb.

*3. PRATENSE LINN. — Cand. I. c. pag. 195.

Nunc quasi sponte crescit in arboretis prope Dutoitskloof,
alt. 700 ped. (III, A, e).

*4. REPENS LINN. — Cand. I. c. pag. 198.

In depressis et graminosis Klein Draakensteen et prope
Paarl, alt. 400 ped. (III, D, a).

5. **HIRSUTUM THUNB.**: pilosum, caule ascendente, foliolis obovato-oblongis apice denticulatis striatis, stipulis lanceolatis acutissimis, pedunculis axillaribus longis rectis striatis, capitulis subglobosis, floribus breve pedunculatis patulis, calycis membranacei 10-costati laciniis lineari-subulatis tubo longioribus corolla parum brevioribus erectis, deinde flexuoso-subsquarrosis. — Cand. l. c. pag. 207.

Tr. lasiocephalum Link. enum. hort. berol. pag. 262.

**β. glabellum*: caule foliisque glabris, petiolis pedunculis calycibusque parce pilosis.

In humidis montosis *a)* prope Mooyplaats, alt. 4500 ped.

(I, a), *b)* Camdeboosberg, alt. 4000 ped. (II, b).

Var. *β.* Port Natal inter gramina, infra 100 ped. alt. (V, c).

6. **BURCHELLIANUM CAND.** l. c. pag. 200.

In collibus graminosis *a)* Koratra, alt. 400—800 ped.

(IV, C, c); *b)* Ado et Zuurebergen, alt. 1200—2800 ped.

(V, a); *c)* inter Zantplaat et Komga, alt. 1800 ped. (V, b);

d) Lostafelberg, in saxosis ad montem, alt. 5400 ped. (I, a);

e) Limoenfontein, alt. 3600 ped. (I, d).

7. **PROCUMBENS LINN.** — Cand. l. c. pag. 205.

Sub monte Tafelberg, alt. 300 ped. (III, D, b).

MELILOTUS Juss.

I. **PARVIFLORA DESFONT.** — Cand. l. c. pag. 187.

a) Boschkloof (III, A, d), *b)* Klipberg (III, D, a), *c)* Groenpunt (III, D, b), *d)* Mordkuil (IV, B, b), ubique in humidiusculis infra 600 ped. alt.

TRIGONELLA Linn.

I. **HAMOSA LINN.** — Cand. l. c. pag. 183.

Tr. glabra Thunb. — Cand. l. c. pag. 185.

a) In collibus arenosis prope Ebenezar (III, E, a); *b)* ad ripas Garip prope Verleptpram (III, B), utroque loco alt. 300 ped.

MEDICAGO Linn.

*I. **SATIVA LINN.** — Cand. l. c. pag. 173.

Wupperthal (III, A, d) legit Baro de Wurmb.

*2. **DENTICULATA** WILLD. — Cand. l. c. pag. 176.

Paarl, in fruticetis, alt. 400 ped. (III, D, b).

3. **NIGRA** WILLD. — Cand. l. c. pag. 178.

a) Duikervalei (III, E, b), b) Ebenezar (III, E, a).

4. **LACINIATA** ALLION. — Cand. l. c. pag. 180.

a) Ebenezar et Zwartbastkraal, infra alt. 400 ped. (III, E, a); b) Rhinosterkop, alt. 3000 ped. (II, d); c) Limoenfontein, alt. 3600 ped. (I, d).

LOTUS Linn.

1. **DISCOLOR**: fruticulosus subpubescens, foliolis stipulisque conformibus oblongo-cuneatis integerrimis supra glaucis subtus incanis, umbellis axillaribus longe pedunculatis 4—8-floris, bracteis foliaceis valde inaequalibus, longiore flores subaequante, leguminibus rectis teretibus glabriusculis intus loculosis, seminibus ovato-subglobosis laevibus olivaceo-nigricantibus.

In collibus graminosis ad ostia fluvii Omsamcaba, alt. 400 ped. (V, c).

2? **AMPLEXICAULIS**, erectus suffruticosus pilosissimus, foliolis oblongo-obovatis, stipulis solitariis oppositifoliis amplexicaulibus cordatis magnis, capitulis terminalibus alaribusque sessilibus, leguminibus rectis compresso-turgidulis pilosissimis, seminibus subglobosis, tuberculo ad radiculam, laevibus nitidis.

Inter Zandplaat et Komga in graminosis, alt. 2400 ped. (V, b).

Flores ignoti, ideoque genus minus certum. Stipula ad basin nervosa, nervis binis crassioribus, superne in rete venosum sub apice acutiusculo desinentibus.

SUBTRIBUS III. CLITORIAE CAND.

INDIGOFERA Linn.

§. I. Unifoliae.

1. **NUDICAULIS**: fruticosa, foliis simplicibus subsessilibus oblongo-linearibus convolutis apice recurvatis deciduis tenuissime velutinis, racemis subspicatis folio multo longioribus bre-

vissime pedunculatis, vexillo extus pubescente, leguminibus teretibus crassiusculis rectis.

Prope Verleptpram ad Garip, in collibus saxosis alt. 500 ped. (III, B).

*2. **DUMOSA**: fruticosa, ramis divergentibus demum subspinescentibus, foliis simplicibus subsessilibus lineari-oblongis obtusis glabriusculis, racemis folio vix longioribus hirtis, bracteis persistentibus, petalis extus pubescentibus.

(V, a)?

§. 2. **Trifoliatae, foliolo impari subsessili.**

3. **SPINESCENS**: fruticosa, ramis divergentibus spinescentibus, foliis subfasciculatis trifoliatis glabris, foliolis obovatis petiolo vix longioribus, racemis folio parum longioribus paucifloris hirtis, petalis extus pubescentibus, leguminibus teretibus rectis.

* β . **tenuior**: foliolis oblongo-cuneatis.

In montosis rupestribus siccis a) Leliefontein, alt. 4600 ped. (III, A, a); b) Witpoort et Zwaanepoelspoort, alt. 3000—3600 ped. (II, e).

Var. β . locus natalis incertus.

Foliola lineam, in β lineam cum dimidia longa.

*4. **PUNGENS**: fruticosa, strigilloso-subcanescens, foliis solitariis trifoliatis, foliolis obovato-oblongis, racemis folio multo longioribus breve pedunculatis ramisque patentibus rectis demum spinescentibus, petalis extus pubescentibus, leguminibus rectis apice subrecurvatis compressiusculis, suturis tumidulis, valvulis medio subcarinatis.

Inter rupes prope Verleptpram alt. 500 ped. (III, B).

5. **FALCATA**: fruticosa, ramis flexuoso-subrecurvatis, foliis subfasciculatis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis obovato-cuneatis subretusis racemis folio multo longioribus ramulisque patentibus rectis demum spinescentibus, petalis extus pubescentibus, leguminibus compresso-linearibus subtorulosis falcatis nitidis.

a. **glaberrima**: petalis exceptis glaberrima.

**β. pubescens*: pagina foliolorum superiore excepta, tota strigilloso-pubescentibus.

In collibus saxosis siccis prope Platdrift, alt. 2400 ped. (II, d).

Var. *β.* ejusmodi locis *a*) prope Bitterwater, alt. 2300 ped. *b*) Rhinosterkop, alt. 3000 ped. (II, d); *c*) Klein Bruinjeshoogte, alt. 2800 ped. (V, a).

6. *RIGESCENS*: fruticosa, foliis trifoliatis brevissime petiolatis, foliolis oblongo-cuneatis glabriusculis, racemis folio longioribus breve pedunculatis, rachi mutica, petalis extus pubescentibus, leguminibus teretiusculis rectis.

a. spinosa: ramis subdivaricatis spinescentibus.

β. inermis: ramis erectiusculis subvirgatis inermibus.

a) Zwartkopsrivier, alt. 200 ped.; *b*) inter Zondagsrivier et Kuga in montosis graminosis, alt. 800 ped. (IV, C, c); *c*) in rupestribus prope Zilverfontein, alt. 2000 ped. (III, B).

Var. *β.* Zuurebergen, alt. 2000—3000 ped. (V, a).

7. *ANGUSTATA*: ramis virgatis foliisque trifoliatis brevissime petiolatis glabris, foliolis cuneato-linearibus acutis, racemis folium vix superantibus, petalis extus pubescentibus, leguminibus teretiusculis subflexuosis glabris.

Albany, in collibus asperis inter gramina, alt. 500—1000 ped. (V, a).

Habitu characteribusque proxima antecedentis varietati alteri, et forsan vix specie diversa, quamvis foliola fere duplo longiora angustissima, racemi breviores, legumina minus stricta et tota planta, calyce petalisque exceptis, glaberrima.

*8. *TENUISSIMA*: annua? caule ramisque virgatis tenuissimis, foliis trifoliatis breve petiolatis strigilloso-pubescentibus, foliolis angustissime linearibus acutis, racemis axillaribus capillaceis longe pedunculatis, leguminibus compressiusculis linearibus rectis.

Port Natal, in vallibus graminosis, infra 100 ped. alt. (V, c).

9. *OROBIDES*: caudice suffruticoso, caulibus simplicibus ascendentibus, foliis trifoliatis breve petiolatis, foliolis lanceolato-linearibus utrinque acuminatis mucronatis, stipulis lanceo-

latis erectis petiolo adnatis eoque triplo longioribus, racemis longe pedunculatis strictis pyramidatis, calycibus petalisque glaberrimis.

Katberg in campis graminosis igne combustis, alt. 3000—4000 ped. (I, a).

Foliola fere pollicaria. Stipulae semipollicares persistentes. Racemi fere Onobrychis, floribus in genere magnis rubellis. Bractee longe acuminatae, floribus nondum expansis longiores, deciduae. Legumen non vidi.

10. PLATYPODA: suffruticosa, strigilloso-canescens, ramis subangulatis, foliis trifoliatis, foliolis linearibus obtusis petiolo dilatato-linearibus brevioribus, stipulis lanceolatis subrecurvatis deciduis, racemis axillaribus longissime pedunculatis flexuosis, bracteis calyce longe acuminato brevioribus, petalis glabriusculis.

De loco natali nil certi constat.

* 11. TRIQUETRA: subherbacea, caule ramisque virgatis triquetris foliisque trifoliatis glabris, foliolis lanceolato-linearibus petiolo triquetra subtriplo brevioribus, racemis axillaribus longe pedunculatis, petalis extus puberulis.

Piquetberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, d).

Sequenti affinis, sed robustior; caulis nec scaber nec canescens, petioli longiores, foliola angustiora etc.

12. PSORALOIDES LINN. — Cand. prodr. pag. 232.

In fruticetis prope Paarl, alt. 400 ped. (III, D, a).

13. CANDICANS AIT. — Cand. I. c.

a) Nieuweveldsbergen, alt. 3500—4000 ped. (II, d);

b) Kamiesbergen, alt. eadem; c) Kasparskloof, alt. 2500 ped.

(III, A, a), undique ex montosis saxosis; d) in collibus arenosis prope Vischbaai, alt. 100 ped. (IV, C, a).

14. SETACEA: herbacea procumbens ramis filiformibus, foliis trifoliatis, foliolis obovatis subtus strigillosis petiolo parum longioribus, racemis longe pedunculatis subcapitatis paucifloris, petalis glabris, leguminibus rectis turgidulis hirsutis 3—6-spermis.

Paarlberg, inter gramina et fruticulos, alt. 1200—2000 ped. (III, A, e).

*15. FLORIDA: fruticosa, foliis trifoliatis strigilloso-subcanescentibus, foliolis obovatis mucronulatis, stipulis ovatis acuminatis petiolo duplo longioribus foliola subaequantibus, racemis subterminalibus elongatis brevissime pedunculatis, bracteis acuminatis flores nondum expansos superantibus deciduis, petalis glabris.

Katberg, in rupestribus, alt. 4600 ped. (I, a).

†16. NIVEA WILLD.? suffruticosa subvillosa-incana, foliis trifoliatis approximatis, foliolis obovatis mucronatis stipulisque subulatis petiolo duplo longioribus, racemis folio subaequalibus paucifloris, calycis laciniis subsetaceis petala extus hirsuta aequantibus, leguminibus brevibus rectis turgidulis subvillosis. — Willd? in Spreng. syst. veg. III. pag. 273.

a) in summis Hottentottshollandsbergen (III, A, e) et b) Kleinriviersberg (IV, C, a) legit Ecklon; c) Potberg prope Laurens (IV, C, a) legit Beil.

17. INCANA THUNB. — Cand. l. c. pag. 232.

Inter Klipplaatrivier et Zwartkey, alt. 3500—4000 ped. (I, a).

Species polymorpha. Caulis ramique teretes, sed in specimenibus magis elongatis haud raro angulati. Ab *J. psoraloide* et *candicante* differt imprimis petiolo foliolis duplo triplove brevioribus, stipulis magnis acuminatis, indumenti pilis patulis.

18. STIPULARIS LINK.: subherbacea, decumbens, canescenti-hirsuta, foliis trifoliatis, foliolis obovato-cuneatis petiolo duplo longioribus, stipulis subcordatis acutis petiolo longioribus, racemis elongatis longissime pedunculatis flexuosis, petalis glabris, leguminibus teretibus rectis glabris pendulis. — Cand. l. c. pag. 232.

a) Inter rupes ad rivum inter Klipplaatrivier et Zwartkey, alt. 3400 ped. et b) Katberg, in montosis asperis, alt. 4500—5000 ped. (I, a).

19. MOLLIS: herbacea, prostrata, molliter pilosa, foliis trifoliatis, foliolis obovato-subrotundis supra glabriusculis petiolo duplo brevioribus, stipulis minutis subrotundato-cordatis, racemis longe pedunculatis densifloris, petalis extus pilosiusculis.

(V, b).

20. **DISCOLOR**: subherbacea, procumbens, ramis angulatis, foliis trifoliatis, foliolis obovatis acutiusculis mucronatis subtus canis utrinque strigillosis petiolum subaequantibus, stipulis lineari-subulatis patulis, racemis longe pedunculatis curvatis, petalis glabris.

In collibus argillosis *a*) prope Groenekloof, (III, D, a),
b) prope urbem (III, D, b), infra 500 ped. alt.

Sequenti valde propinqua. Sed caulis neque vere prostratus neque geniculatus, foliola multo magis discolora acutiora utrinque strigillosa e. s. p.

21. **PROCUMBENS LINN.**: herbacea, prostrata, glabriuscula, caule compresso geniculato, foliis trifoliatis, foliolis late obovatis muticis petiolo brevioribus, racemis erectis longe pedunculatis. — *Cand. l. c.* pag. 232.

Groenpunt prope urbem, infra 100 ped. alt. (III, D, b).

Mirifice variat caule plus minusve geniculato, nunc folioso nunc nudo decolore racemos longe pedunculatos tanquam scapos proferente, foliolis minoribus angustioribus vel majoribus latioribus, petalis extus nudis vel puberulis. Ita tamen confluent formae indicatae, ne varietates quidem distinguere ausim.

§. 3. Digitatae.

22. **BIFRONS**: fruticulosa, incana, foliis digitatim 3—7-foliatis, foliolis obovatis complicatis petiolo subbrevioribus, racemis pedunculatis apice paucifloris, vexillo ad nervum medium extus pubescente, leguminibus teretibus turgidulis patulis pubescentibus.

a. trifoliata: foliis fere omnibus trifoliatis.

J. heterophylla Thunb.? fl. capens pag. 597 (quae minime ad

J. amoenam Jacq. pertinet).

β. digitata: foliis quinatis septenatisque.

Var. *α*. Nieuweveldsbergen, alt. 3500—4000 ped. (II, d).

Var. *β*. inter saxa in summis montibus *a*) Witbergen, alt. 7500 ped. et Los. Tafelberg, alt. 6000 ped (I, a), *b*) Camdeboosberg, alt. 4500 ped. (II, b); *c*) ad montes prope Graafreynet, alt. 3000 ped. (II, b).

Foliola 1—2 lin. longa.

23. **DIGITATA THUNB.** — Cand. l. c. pag. 231.
Paarlberg, alt. 1000 ped. (III, D, e).

24. **QUINQUEFOLIA:** fruticulosa, procumbens, foliis quinatis brevissime petiolatis, foliolis convoluto-teretiusculis supra sulcatis mucronulatis hirtellis, racemis folio vix duplo longioribus pedunculatis paucifloris, rachi capillari flexuosa, petalis extus hirtellis.

In montibus apricis saxosis prope Gnadenthal, alt. 3600 ped. (IV, A).

*25. **SUBTILIS:** annua? glabriuscula, caule ramisque filiformibus erectiusculis, foliis quinatis septenatisque subsessilibus, foliolis lineari-lanceolatis acutis, pedunculis capillaribus subbifloris folio fere triplo longioribus, petalis glabris, leguminibus compressis erectiusculis glabris subtrispermis.

Draakensteensbergen, in rupestribus humidis umbrosis, alt. 3000—3500 ped. (III, A, e).

26. **FILIFORMIS THUNB.** — Cand. l. c. pag. 231.

β . *planifolia*: foliolis latioribus marginibus planis.

a) Ad Tafelberg, alt. 1500 ped. (III, A, e); b) prope Witteboom, alt. 500 ped. (III, D, b).

Var. β . a) ad radices montis Duivelsberg et b) in collibus prope Wynberg, alt. 400—800 ped. (III, D, b).

27. **SULCATA CAND. l. c.**

In vallibus inter frutices humiliores a) prope Kromrivier et b) Van Staadesrivier, alt. 400—800 ped. (IV, C, c).

§. 4. **Pinnatae, foliolis oppositis, impari subsessili.**

28. **BRACHYSTACHYA.**

J. angustifolia Thunb. fl. cap. pag. 599 (non Linn.).

J. angustifolia β . *brachystachya* Cand. l. c. pag. 231.

a) Inter Stellenbosch et urbem, alt. 200 ped. (III, E, b),

b) in saxosis Ataquaskloof, alt. 1600 ped. (IV, A) et c) prope Kromrivier, alt. 800 ped. (IV, C, c).

Antecedenti etsi persimilis, specie tamen certe differt. Folia vere pinnata, nec digitata. Petala extus strigilloso-canescencia, nec glabriuscula, etc.

29. **LEPTOPHYLLA**: suffruticosa, foliis trijugis brevissime petiolatis, foliolis sublinearibus complicatis subtus strigillosis acutis, junioribus apice revurvatis, impari subsessili, racemis pedunculatis 4—6-floris, petalis extus strigilloso-subcanescentibus, leguminibus teretibus nitidis patulis.

Prope Buffelrivier, alt. 800—1500 ped. (V, b).

Antecedente omnibus partibus multo tenuior. Radix fere plantae annuae, sed caulis ad basin lignosus.

* 30. **ANGUSTIFOLIA** LINN. — Cand. l. c. pag. 230. (excl. var. β).

Ad montem prope Sparrbosch, alt. 1200—2000 ped. (IV, A).

31. **PAUCIFLORA**: fruticosa, ramis sulcatis glabris, foliis trijugis brevissime petiolatis, foliolis cuneato-oblongis obtusis planis subtus strigillosis impari sessili, racemis folio brevioribus bi- vel trifloris, vexillo extus pubescente.

Ad margines sylvarum prope Georg, alt. 500 ped. (IV, c, b).

* 32. **ADONENSIS**: fruticulosa, strigilloso-canescens, foliis trijugis breve petiolatis recurvatis, foliolis lanceolato-oblongis acutis, impari brevissime petiolato, racemis folio vix duplo longioribus flexuosis paucifloris, petalis extus helvolo-pubescentibus, leguminibus teretibus rectis patulis subpubescentibus.

Ado, in graminosis, alt. 1200 ped. (V, a).

* 33. **ELLIPTICA**: fruticulosa, foliis trijugis recurvatis breve petiolatis, foliolis ellipticis supra glabriusculis subtus parce strigillosis pallidis, impari brevissime petiolato, racemis folio duplo longioribus flexuosis paucifloris, petalis glabriusculis.

De loco natali non satis constat.

34. **SARMENTOSA** THUNB.: annua? effusa, ramis subfiliformibus, foliis pinnatis bijugis trifoliatisve brevissime petiolatis, foliolis ellipticis oblongisve mucronulatis strigillosis subtus pallidis, pedunculis capillaribus 2—4-floris folio multo longioribus, petalis extus pubescentibus, leguminibus teretibus rectis glabris erectiusculis. — Cand. l. c. pag. 231.

† *a. trifoliata*: foliis plerisque trifoliatis, foliolis magis ellipticis.

β. pinnata: foliis plerisque pinnatis, foliolis paulo angustioribus.

Var. *α.* in summo monte tabulari (III, A, e) legerunt Ecklon aliique.

Var. *β.* in collinis dumosis prope Omsamculo, alt. 400 ped. (V, c).

Folia trifoliata et pinnata saepius in iisdem speciminibus varie mixta, rarius seorsim occurrunt.

35. CORIACEA AIT. — Cand. l. c.

a. major: foliis plerisque bijugis, foliolis 3—4 lineas longis.

β. minor: foliis plerisque trijugis, foliolis vix lineam longis.

Var. *α.* in collibus fruticosis *a)* prope urbem et *b)* prope Rondebosch, alt. 200—800 ped. (III, D, b).

Var. *β.* in rupestribus apricis prope Gnadenthal, alt. 3000—4000 ped. (IV, A); *b)* in collibus prope Driefontein, alt. 400 ped. (IV, C, a).

Immerito inter species digitatas militavit, quum rachis foliorum, licet brevior, nunquam desit.

36. ALOPECUROIDES CAND. l. c.

Tafelberg, alt. 2500 ped. (III, A, e).

Antecedenti valde affinis et pariter ac illa pinnata nec vere digitata. Sed caulis firmiter erectus nec procumbens, foliola obovato-elliptica acuta recurvato-mucronata, nec obcordata, concolora, nec subtus canescentia.

27. REFLEXA: fruticosa, incana, ramulis subsulcatis, foliis quadrijugis patulo-subreflexis, foliolis obovatis breve petiolatis cuneatis recurvato-mucronatis, terminali sessili, racemis elongatis flexuosis breve pedunculatis, petalis extus strigilloso-candidis, leguminibus teretiusculis rectis stylo persistente subhamatis puberulis.

Inter Zondagrivier et Kuga in collibus graminosis, alt. 800 ped. (IV, C, c).

38. DREGIANA: suffruticosa, canescenti-subvillosa, caule virgato subsimplice, foliis 5—7-jugis breve petiolatis erectiusculis, foliolis lineari-oblongis obtusis, impari brevissime petiolato,

racemis longissimis longius petiolatis flexuoso-nutantibus subsecundis, petalis extus helvolo-subtomentosis, leguminibus teretibus rectis erectiusculis.

Inter Omcomas et Port Natal, alt. 300 ped. (V, c).

Pulcherrimam hanc speciem, caule 2—3-pedali, foliis sesquipollicaribus, foliolis semipollicaribus, racemis semipedalibus, floribus ex badio lutescentibus, dicavi amicissimo Drègeo, qui, primus inter botanicos veram Indigoferarum patriam, Caffriam, pervagatus, specierum antea cognitarum numerum haud exiguum duplicavit.

*39. **HIRTA**: suffruticosa, strigilloso-hirta subcanescens, caule erecto subsimplice, foliis 2—3-jugis breve petiolatis, foliolis lanceolatis subacuminato-mucronulatis, impari subsessili, racemis folio brevioribus, petalis extus strigilloso-hirtis, leguminibus teretiusculis rectiusculis hirtis patulis.

In graminosis inter Omtata et Omsamwubo, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

*40. **TRISTIS**: fruticosa, caule virgato superne ramuloso glabriusculo, foliis 4—5-jugis breve petiolatis patentibus, foliolis cuneato-oblongis subretusis mucronulatis tenuissime strigillosis, impari brevissime petiolato, racemis elongatis flexuoso-erectiusculis, pedunculo folium aequante, petalis extus badio-subtomentosis apice nigricantibus.

In graminosis inter Gekau et Basche, et inter Omsamwubo et Omsamcaba, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

Variat foliolis subtus glaucescentibus densius strigillosis, et utrinque virentibus supra glabriusculis.

41. **CORNICULATA**: suffruticosa, caule erecto, ramosissimo, foliis 3—4-jugis brevissime petiolatis, foliolis cuneato-oblongis obtusis mucronatis utrinque strigillosis, impari breve petiolato, racemis longe pedunculatis brevibus flexuoso-erectiusculis, petalis extus helvolo-subtomentosis, leguminibus teretiusculis rectis cuspidatis.

Inter Omtata et Omsamwubo, alt. 1500 ped. (V, b).

42. **VIMINEA**: suffruticosa, strigilloso - canescens, caule ramisque erecto - patulis virgatis sulcatis, foliis 4—5-jugis brevissime petiolatis patulis, foliolis distantibus lanceolato - linearibus marginibus subinvolutis acutis, impari subsessili, racemis longe pedunculatis erectiusculis multifloris, petalis extus helvolo - subtomentosis, leguminibus compressiusculis rectiusculis strigillosis erectis.

a) Inter Gekau et Basche in graminosis, alt. 1500—2000 ped. (V, b); *b*) Klein Bruintjeshoogte in collinis, alt. 2800 ped. (V, a).

43. **FASTIGIATA**: suffruticosa pallide virens, caule ascendentibus erecto simpliciusculo sulcato strigilloso, foliis trijugis patentibus brevissime petiolatis, foliolis distantibus lanceolato - oblongis acutis complicatis subtus strigillosis, impari sessili, racemis longe pedunculatis multifloris ascendentibus subfastigiatis, petalis extus nudis.

Inter Omsamwubo et Omsamcaba, alt. 1200 ped. (V, b).

44. **FOLIOSA**: fruticosa, caule ramisque erectis nigricantibus strigillosis dense foliosis, foliis subquadrijugis breve petiolatis, foliolis subcuneato - linearibus subtus strigillosis, impari breve petiolato, racemis folio brevioribus 3—4-floris, petalis extus helvolo - subtomentosis, leguminibus teretibus rectis strigilloso - scabris pendulis.

Inter Omsamwubo et Omsamcaba, in valle inter gramina altiora, alt. 800 ped. (V, b).

45. **SECUNDA**: suffruticulosa erecta, foliis quadrijugis brevissime petiolatis patulis, foliolis linearibus acutis complicatis subtus strigillosis, impari sessili, racemis longe pedunculatis secundis, petalis extus helvolo - subtomentosis.

In graminosis *a*) inter Klipplaatrivier et Zwartkey, alt. 3800 ped., *b*) Katberg, alt. 4000—4500 ped. (I, a), *c*) inter Gekau et Basche, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

46. **CAPILLARIS THUNB.** — *Cand. l. c. pag. 230.*

a) Dutoitskloof, in montosis uliginosis, alt. 3000 ped. (III, A, e); *b*) Groenekloof, in planitie arenosa, alt. 200 ped. (III, E, b)

47. JUNCEA CAND. l. c. pag. 225.

Ad rivulos et in uliginosis montosis *a)* Rondebosch, alt. 200 ped. (III, D, b), *b)* Wupperthal, alt. 1600 ped., *c)* Cederbergen, alt. 3500 — 4000 ped. (III, A, d), *d)* Giftberg, alt. 1800 ped. (III, A, c), *e)* Gnadenthal, alt. 800 ped. (IV, B, b).

§. 5. Pinnatae, foliolis oppositis, impari petiolato.

48. FRUTESCENS THUNB. — Cand. l. c. pag. 226.

In vallibus et rupestribus humidis *a)* Draakensteensbergen, alt. 1600 ped., *b)* Dutoitskloof, prope Leeuwenkraal, alt. 600 ped. (III, A, e), *c)* Cederbergen, alt. 1800 ped. (III, A, d), *d)* Giftberg, alt. 1600 ped. (III, A, c).

49. CYLINDRICA CAND. l. c. pag. 225.

Ad ripas fluvii Basche, alt. 500 ped. (V, b).

50. TINCTORIA LINN. — Cand. l. c. pag. 224.

Culta? in horto prope Wupperthal, alt. 1600 ped. (III, A, d).

*51. RUFESCENS: suffruticosa, caule ramisque erectis glabrusculis rufescentibus, foliis suboctojugis breve petiolatis, foliolis oblongis obtusiusculis mucronatis basi attenuatis adultis glaberrimis, impari petiolato, racemis subpaniculatis pedunculatis folio triplo longioribus filiformibus, vexillo extus hirsuto.

(V, c).

52. ERIOCARPA: suffruticosa, canescenti-hirsuta, caule ramisque erectis, foliis 5—6-jugis varie petiolatis patulis, foliolis oblongo-ellipticis, impari petiolato, stipulis longis subulatis, spicis longe pedunculatis rigidis erectis folio duplo longioribus densifloris, petalis extus pilosiusculis, leguminibus brevibus rectis turgidulis villosis.

In collinis dumosis prope Port Natal, alt. 400 ped. (V, c).

Affinem huic puto *J. heterotricham* Cand. l. c. pag. 227, mihi ignotam. At pili in nostra minime uncinati sunt.

53. GRATA: fruticosa, caule ramisque flexuoso-erectis pubescentibus foliis quinquejugis, foliolis lineari-oblongis utrinque

appresse strigillosis, impari petiolato, racemis folio subbrevioribus sub apice ramorum confertis paucifloris. —

Ad ostia fluvii Omsamculo (V, c).

54. **VELUTINA**: suffruticosa, velutino - pubescens, caule decumbente, foliis suboctojugis brevissime petiolatis, foliolis ellipticis, impari petiolato, stipulis subulatis petiolo duplo longioribus, racemis subspicatis longe pedunculatis ascendentibus, petalis extus velutinis.

Ad fluvium quendam minorum haud procul ab Omsamcaba, alt. 800 ped. (V, b).

55. **DECLINATA**: fruticulosa, caule ramisque decumbentiascendentibus glabriusculis, foliis quinquejugis breve petiolatis, foliolis obovato-oblongis subtus parce strigillosis, impari petiolato, stipulis subulatis minimis, racemis subspicatis longissime pedunculatis erectis, petalis extus pubescentibus, leguminibus compressiusculis subfalcatis glabris pendulis.

In montosis rupestribus inter Keureboomsrivier et Langekloof, alt. 3500—4000 ped. (IV, A).

56. **CALVA**: suffruticosa, glabra, caule erecto gracili, foliis 5—7-jugis longe petiolatis, foliolis obovato-lanceolatis oppositis raro subalternis, impari petiolato, racemis subspicatis longe pedunculatis, fructiferis longissimis strictis, leguminibus teretibus rectis pendulis.

De loco non satis constat.

57. **MICRANTHA**: fruticosa, caule erecto ramosissimo ramisque glabris, foliis 4—5-jugis breve petiolatis, foliolis obovato-oblongis subtus pallidis ad lentem substrigillosis, impari petiolato, inferioribus sensim minoribus, racemis capillaribus breve pedunculatis folio parum longioribus, floribus minimis, petalis extus subpuberulis, leguminibus teretiusculis rectiusculis glabris.

Inter Omtendo et Omsamculo, ad marginem sylvae, alt. 100 ped. (V, c).

Frutex gracilis, 4—5 pedes altus.

*58. **VARIA**: suffruticulosa, effusa, foliis 2—4-jugis, petiolo foliolis brevioris, foliolis oblongis acutiusculis hirsutiusculis, impari petiolato, inferioribus paulo minoribus, racemis capillari-

bus paucifloris, pedunculo folium subaequante, floribus remotis minimis, petalis extus pubescentibus, leguminibus compressiusculis rectiusculis subhexaspermis.

Ad ripas praeruptas fluvii Basche, alt. 500 ped. (V, b).

59. **TORULOSA**: suffruticosa, effusa, foliis bijugis, petioli foliola aequantibus, foliolis oblongis acutiusculis subtus strigilloso-canescens, impari petiolato, racemis subspicatis brevissime pedunculatis, floriferis folium aequantibus, fructiferis triplo longioribus, floribus minimis, petalis extus pubescentibus leguminibus complanatis subfalcatis pubescentibus subtrispermis medio utrinque torulosis.

a) Ad ripas praeruptas fluvii Basche, alt. 500 ped.;

b) in graminosis inter Omtata et Omsamwubo.

60. **ADENOCARPA**: fruticosa, strigilloso-albens, caule erecto ramosissimo rigidiusculo, foliis 3—4-jugis longe petiolatis, foliolis obovatis submucronatis, impari petiolato, racemis breviter pedunculatis folio longioribus, floribus remotiusculis parvis, petalis extus hirsutiusculis, leguminibus teretibus rectis strigilloso-canescens glanduloso-punctatis subdeclinatis.

In collibus ad Garip, alt. 300—800 ped. (III, B).

61. **MACRA**: suffruticosa, caule erecto ramoso, foliis 4-jugis, petiolo foliolis brevior, foliolis lanceolato-oblongis obtusiusculis subtus strigillosis, impari brevius petiolato reliquis sublongiori, racemis subspicatis longe pedunculatis, petalis glabris, leguminibus teretiusculis, suturis prominulis rectiusculis 16-20-spermis.

Ad ripas fluvii Basche, alt. 500 ped. (V, b).

*62. **ENONENSIS**: suffruticosa, caule erecto ramisque flexuosis, foliis subtrijugis, petiolo foliolis infimis brevior, foliolis elliptico-oblongis retusis substrigillosis, impari petiolato, racemis subspicatis longe pedunculatis demum longissimis patulis extus pubescentibus, leguminibus teretiusculis rectiusculis acutissimis puberulis suppendulis.

In montibus prope Enon, alt. 1000—2000 ped. (V, a).

63. **CYTISOIDES THUNB.** — Cand. l. c. pag. 230.

Tafelberg, alt. 800—2000 ped. (III, A, e).

§. 6. Pinnato - trifoliatae, i. e. trifoliatae, impari petiolato.

64. ARGYROIDES: annua, incano-sericea, caule erectiusculo angulato, foliis trifoliatis, petiolo foliolis lateralibus longiore foliolis subrhombico-obovatis, impari petiolato majori, racemis subspicatis folio brevioribus densifloris, petalis glabriusculis, leguminibus confertis compressiusculis subfalcatis sericeis deflexis. Ad ripas limosas fluvii Garip, alt. 200 ped. (III, B).

Proxima *J. argenteae* Linn., quae ad sectionem antecedentem pertinet et omnino specie diversa est.

65. AMOENA AIT. — Cand. l. c. pag. 224. (excl. Thunb. synonym.).

Ebenazar, alt. 200 ped. (III, E, a).

* 66. TETRAGONOLOBA: suffruticosa, glabriuscula, foliis trifoliatis, petiolo foliola lateralia aequante, foliolis obovato-oblongis subtus praesertim strigillosis, impari majori longe petiolato, racemis subspicatis longe pedunculatis demum longissimis incurvatis filiformibus, floribus minutis, vexillo extus strigilloso, leguminibus toruloso-subtetragonis curvatis glabris pendulis 8—12-spermis.

In fruticetis prope ostia fluvii Omsamculo et inter Omcomas et Port Natal, infra 100 ped. alt. (V, c).

§. 7. Alternatim pinnatae vel subtrifoliatae.

67. BURCHELLII CAND. l. c. pag. 231.

α. paucifolia: foliolis majusculis plerumque ternis.

β. multifolia: foliolis minoribus plerumque 4—6.

Var. *α.* prope Zwartbulletje in collibus alt. 2500 ped. (II, d).

Var. *β.* in rupestribus siccis *a)* ad Groot Vischrivier, alt. 300 ped. et *b)* Klein Vischrivier, alt. 1800 ped. (V, a).

Suffruticosa depressa canescenti-strigillosa. Foliola semper alterna. Racemi spicato-capitati petiolo breviores. Calyx pilis subhamatis hirtus, laciniis subulatis. Petala glabra. Legumina teretiuscula, suturis prominulis, rectiuscula divergentia strigillosa 4—5-sperma. Var. *β.* simillima est *J. enneaphyllae* Linn. Varietatis *α.* foliola saepe fere duplo majora.

68. **ALTERNANS CAND.** l. c. pag. 229.

Ad Garip, prope Verleptpram, alt. 300 ped. (III, B).

69. **EFFUSA:** herbacea, effusa, foliis pinnatis, foliolis 6—11 alternis obovatis subtus strigilloso-candicantibus, supra virentibus glabriusculis, racemis subspicatis folio duplo longioribus longe pedunculatis densifloris flexuosis, vexillo extus strigilloso, leguminibus teretiusculis rectiusculis substrigillosis pendulis.

a) In collibus saxosis prope Los Tafelberg, alt. 4000—4500 ped. (I, a); b) in planitie sicca prope Colesberg, alt. 2400 ped. (I, b); c) prope Veltevrede, alt. 2600 ped. (II, d).

Incolae posterioris loci floribus ad atramentum scriptorium optimum faciendum utuntur.

Antecedenti simillima. Differt foliolis supra virentibus glabriusculis, floribusque fere duplo majoribus densius congestis.

70. **ARENARIA:** herbacea, effusa, foliis pinnatis, foliolis 7—12 alternis obovatis utrinque tenuissime strigillosis, racemis subspicatis folio brevioribus longe pedunculatis, vexillo extus pubescente, leguminibus subtrispermis inter semina coarctatis rectis puberulis pendulis.

In collibus arenosis prope Ebenezar, alt. 200—400 ped. (III, E, a).

A binis praecedentibus differt imprimis racemis folio brevioribus.

71. **AURICOMA:** herbacea, caule subgeniculato angulato debili, foliis pinnatis, foliolis 4—7 ovato-oblongis acutis utrinque dense strigillosis, subtus incanis, supra sericeo-nitentibus virescenti-aureis, racemis subspicatis brevè pedunculatis, florentibus folium subaequantibus, fructiferis elongatis, petalis extus pubescentibus, leguminibus teretiusculis rectis canescentibus pendulis.

In collibus saxosis prope Verleptpram, alt. 500 ped. (III, B).

Foliolum terminale saepe pollicare et ultra. Exsiccatione foliola nitorem coloremque haud raro amittunt.

*72. HENDECAPHYLLA JACQ. — Cand. l. c. pag. 228.

In horto culta.

*73. EXIGUA: fruticulosa, ascendens, foliis pinnatis, foliolis 9—16 alternis vel irregulariter suboppositis sublinearibus obtusis parce strigillosis, racemis defloratis folio multo longioribus longe pedunculatis incurvis, leguminibus teretiusculis rectis substrigillosis pendulis.

Onder Bokkeveld inter Waterval et Grasbergviver, alt. 2400 ped. (III, A, c).

SUBTRIBUS IV. GALEGAEAE CAND.

TEPHROSIA Pers.

Novum generis characterem proponere non ausus sum. Species autem mihi notae tam Africanae hic recensendae, quam etiam Americanae et Asiaticae nonnullae sequentibus inter se conveniunt: foliis pinnatis nec trifoliatis; bracteis sub calyce nullis, ad pedicellorum basin subulatis persistentibus; petalis plus minusve rubentibus; calyce subaequali quinquefido nec bilabiato; vexillo extus hirsuto; alis carinae bicipiti medio adhaerentibus; staminibus monadelphis, decimo ad basin libero; stylo angustissime lineari, ad basin subcarinato, tum ita flexo, ut marginum alter superne alter inferne spectet; leguminibus complanatis linearibus; seminibus ventre, nec unquam basi affixis, compresso - reniformibus vel subquadratis, junioribus vere arillatis, arillo tenuissimo candido fragili, maturis nudis, saepius tamen rudimento arilli annulato cinctis.

Sectio I. BRISSONIA Cand.

Stylo barbato.

1. OBLONGIFOLIA: caule suffruticoso longissime procumbente pubescente, foliis 2—5-jugis brevissime petiolatis, foliolis oblongis venoso-reticulatis pubescentibus, racemis axillaribus longissimis interrupte subspicatis, leguminibus coriaceis latiusculis helvolo-hirtis subtrispermis.

In collinis graminosis a) ad Omsamcaba, alt. 800 ped. (V, b), b) prope Omtendo et c) Port Natal. alt. 300 ped. (V, c).

Sectio II. REINERIA Cand.

Stylo glabro, stigmatate pilosiusculo.

2. CANESCENS: fruticosa, erecta, tota sericeo-incano, foliis 4—6-jugis, petiolo foliolis longiore, foliolis obovato-oblongis, racemis oppositifoliis folium aequantibus, leguminibus latiusculis incano-velutinis hexaspermis.

In arenosis inter gramina prope Omsamculo, infra 100 ped. alt. (V, c).

3. ANGULATA: fruticosa, procumbens, ramis angulatis, foliis 5—9-jugis brevissime petiolatis recurvato-patentibus, foliolis subcuneato-oblongis recurvato-mucronulatis supra virentibus pubescentibus, subtus sericeo-incanis, racemis oppositifoliis rigidis profunde sulcato-angulatis, leguminibus angustis incano-velutinis subheptaspermis.

In planitie prope Glenfilling, inter gramina, alt. 800 ped. (V, a).

4. AMOENA: fruticulosa, erecta, ramosissima, ramis tenuissimis subfastigiatis, foliis 7—9-jugis subrecurvato-patulis modice petiolatis, foliolis subcuneato-linearibus obtusis supra glabris, subtus appresse hirsutis, racemis subpaniculatis terminalibus filiformibus sulcatis, leguminibus angustis glabriusculis subheptaspermis.

a) Ad ostia fluvii Omsamcaba; b) in collibus graminosis prope Omtendo, alt. 300 ped. (V, c).

Antecedenti valde affinis, sed omnibus partibus fere duplo minor et erecta; formaeque nullae intermediae.

5. POLYSTACHYA: fruticosa, erecta, caule ramisque sulcatis helvolo-pubescentibus, foliis 5—9-jugis erectiusculis, petiolo foliolis brevioris, foliolis subcuneato-oblongis utrinque pubescentibus subconcoloribus, racemis terminalibus axillaribusque elongatis strictis, leguminibus angustis pubescentibus suboctospermis.

In planitiibus et vallibus graminosis dumosisve a) inter Gekau et Basche, b) prope Omtata, alt. 1500—2000 ped.; c) Omgaziana d) Fakoskraal, alt. 800 ped.; e) Omsamwubo, alt. 1800 ped.; f) Omsamcaba, alt. 500 ped. (V, b); g) Port Natal, alt. 200 ped. (V, c).

Caulis fere bipedalis, ramis incurvato-erectis virgatis.

6. **CAPENSIS PERS.:** caule suffruticoso procumbente ramisque filiformibus, foliis 3—5-jugis longius pedunculatis, foliolis subcuneato-oblongis lanceolatisve supra glabriusculis subtus hirsutis, racemis oppositifoliis tenuissimis elongatis interrupte paucifloris, leguminibus angustis puberulis pallidis subhexaspermis.

* *a. Jacquini:* foliolis anguste oblongis obtusis minus hirsutis.

T. capensis Cand. l. c. pag. 252.

β. acutifolia: foliolis lanceolatis utrinque acutis subtus valde hirsutis ad nervos obscure pictis.

γ. angustifolia: foliolis angustissime lanceolatis complicatis recurvatis mucronatis subtus minus hirsutis.

Var. *α.* Vischriwier prope Vetkniil, alt. 2500 ped. (V, a).

Var. *β.* in montosis asperis Zauerebergen, alt. 2500 ped.;

b) in planitie graminosa prope Glenfilling, alt. 800 ped. (V, a);

c) inter Zandplaat et Komga, alt. 2000—2500 ped. (V, b).

Var. *γ.* *a)* in rupestribus ad fluvium Zwartkopsrivier, infra 100 ped. alt., *b)* inter Kuga et Zondagsrivier, in graminosis, alt. 800 ped. (IV, C, c); *c)* Klein Bruintjeshoogte, alt.

2800 ped. (V, a); *d)* ad ripas fluvii Key, alt. 500 ped. (V, b);

e) inter Klipplaatrivier et Zwartkey, alt. 3500—4500 ped. (I, a).

Speciei mire polymorphae varietates tantum frequentius occurrentes indicavi. Singula enim specimina quoad formam foliolorum adeo aberrant, ut diversissimarum specierum esse crederes, nisi per formas innumeras intermedias confluerent. Specimina varietatis *β* robustiora aegrius a *T. angulata* distinguuntur; sed petiolus semper aliquantum longior racemorumque rachis nunquam vere angulata quin congungas impediunt. Summa etiam cum *T. polystachya* similitudo; sed caulis nunquam erectus.

7. **BRACHYLOBA:** herbacea erecta pallide virens glabriuscula, foliis 2—4-jugis longius petiolatis, foliolis lanceolato-linearibus, impari elongato, racemis oppositifoliis longissimis strictis, leguminibus subacinaciformibus pallidis glabriusculis subtetraspermis.

In saxosis et rupestribus *a)* prope Bitterwater, alt. 2400 ped. (II, d), *b)* inter Natvoet et Garip, alt. 800 ped. (III, B).

* 8. **ELONGATA**: suffruticosa erecta pubescens, foliis bijugis longius pedunculatis, foliolis lineari-lanceolatis longissimis oblique striatis, impari majori, racemis oppositifoliis longissimis virgatis sulcatis, leguminibus angustis velutinis polyspermis.

In graminosis inter Omsamculo et Omcomas, alt. 400 ped.

(V, c).

* 9. **DISCOLOR**: suffruticosa, erecta, pubescens, foliis 4—6-jugis brevissime petiolatis, foliolis linearibus obtusiusculis subtus niveis, racemis terminalibus et axillaribus elongatis strictis, leguminibus angustis lurido-subtomentosis polyspermis.

In graminosis prope Port Natal, alt 200—500 ped.

(V, c).

APODYNOMENE.

Flos imperfectus inclusus bractea spathacea ovata arida nervosa semibifida caduca. Calyx subaequalis quinquefidus. Vexillum magnum extus hirsutum. Alae medio adhaerentes carinae dorso rectangulae. Stamina monadelphia, decimum ad basin liberum vel solubile. Germen hirsutum. Stylus angustissime linearis aversus inferne barbatus. Legumen complanatum late lineare. Semina transversa oblonga vel pyriformia, hilo basilari, arillo tenuissimo candido fragili evanido vel alam obsoletam relincente. — Suffrutices foliis pinnatis, foliolis oblongis, stipulis ovatis aridis nervosis persistentibus, floribus magnis luteis vel rubentibus, Tephrosiis simillimae, diversae ab iis triplice caractere stipularum ovatarum bracteis similium, bractearum spathacearum caducarum, seminumque transversorum; quo ultimo caractere et Faba a Vicia distinguitur. — Nomen a verbo ἀποδύωμαι, vestem depono, propter bracteas caducas.

Sectio I. EPIBRISSONIA.

Stylus barbatus. Semina oblonga. Tephrosiarum Brissoniis aemulantes.

* 1. **GRANDIFLORA**: fruticosa, erecta, foliis 4—7-jugis, brevius petiolatis, foliolis cuneato-oblongis obtusis subretusis, utrinque pubescentibus, subtus canescentibus, racemis termina-

libus et oppositifoliis apice paucifloris, stamine decimo ad basin perfecte libero, leguminibus late linearibus glabriusculis ad suturas hirtis polyspermis.

Tephrosia grandiflora Pers. — *Cand.* l. c. pag. 251. (inter *Reinerias*).

a) Zurebergen prope Driefontein ad rivulum, alt. 1600 ped. (V, a); b) Kachu in rupestribus, alt. 1000—1500 ped., c) Key ad ripas, alt. 500 ped., d) inter Omsamwubo et Omsamcaba, in graminosis, alt. 1200 ped. (V, b); e) ad ostia fluviorum Omsamcaba et f) Omtendo, in graminosis (V, c).

Flores magnitudine eos *Lathyri* odorati aequantes, rubri. Stylus evidenter barbatus.

2. MACROPODA: suffruticosa, caule tenui procumbenti-ascendente, foliis 2—5-jugis longe pedunculatis, foliolis oblongis supra glabris, subtus hirsutis vel glabriusculis, pedunculis terminalibus et oppositifoliis longissimis apice racemoso-paucifloris, staminibus perfecte monadelphis, leguminibus latiusculis glabriusculis ad suturas hirtis polyspermis.

a. latifolia: foliis 2—3-jugis, foliolis latius oblongis obtusis, subtus sordide hirsutis vel subglabratis, pedunculis plerumque hispidulis.

* *β. angustifolia*: foliis 3—5-jugis, foliolis lanceolato-oblongis acutiusculis subtus sericeo-argenteis, pedunculis glabriusculis vel parce appresso-pilosis.

Var. *a.* inter gramina a) inter Kachu et Zandplaat, b) inter Gekau et Basche, c) inter Omtata et Omgaziana, alt. 1800—2500 ped. (V, b), d) prope Port Natal, infra 100 ped. alt. (V, c).

Var. *β.* in collibus graminosis prope Omsamcabo, alt. 800 ped. (V, b).

Flos luteus, ei antecedentis vix minor.

Hujus radice Caffri prope Port Natal ad pisces inebriandos magno successu utuntur. Pisces hac fraude capti absque ulla noxa frequenter eduntur. Errant igitur, qui Caffros piscibus abstinere contendunt. Eodem modo populos alios aliis hujus generis speciebus uti, notum est.

*3. **AEMULA**: subherbacea, caule tenuissimo procumbente glabriusculo, foliis 2—3-jugis longe petiolatis, foliolis subcuneato-oblongis obtusiusculis glabris, pedunculis terminalibus et oppositifoliis longissimis apice racemoso-paucifloris, staminibus perfecte monadelphis, leguminibus latiusculis glabriusculis polyspermis.

In graminosis inter Zandplaat et Komga, alt. 2500—3000 ped. (V, b).

Hujus etiam flos luteus, ut antecedentis, sed multo minor et tota planta tenuior. Forsan mera illius varietas. Verum formas intermedias vidi nullas.

Sectio II. EPIREINERIA.

Stylus glaber. Semina pyriformia. Tephrosiarum Reineriis respondet.

4. **DIFFUSA**: suffruticosa, procumbens, caule ramisque subfiliformibus, foliis 3—4-jugis longe pedunculatis, foliolis subcuneato-oblongis appresso-puberulis, racemis oppositifoliis filiformibus paucifloris, stamine decimo ad basin libero, leguminibus angustioribus glabriusculis subhexaspermis.

In rupestribus ad fluvium quendam minorem inter Omsamwubo et Omsamcaba, alt. 1500 ped. (V, b).

Habitus omnino Tephrosiae capensis.

CALYCOTOME.

Tephrosiae sp. Pers.

Calyx profunde bilabiatus, labiis subaequalibus, inferiori bi-superiori tridentato. **Petala** glabra, vexillo alis longiori carina breviori, carina erecta apice rotundata bifida. **Stamina** diadelpa. **Germen** utroque margine hirtum. **Stylus** filiformis glaber. **Stigma** capitellatum. **Legumen** complanatum, seminibus protuberantibus, levissime subfalcatum. **Semina** medio ventre affixa exarillata, funiculo brevi filiformi. — **Herba** pumila erecta annua, foliis petiolatis trifoliatis, foliolis anguste obovatis, intermedio sessili. **Flores** solitarii oppositifolii, pedunculis capillaceis supra medium articulatis bracteolatis. **Petala** calyce vix majora. **Legumina** Tephrosiae 4—6-sperma. **Semina** aurantiaca.

I. PUSILLA.

Tephrosia pusilla Pers.? Cand. l. c. pag. 255?

Galega pusilla Thunb.?

Steelkloof, alt. 3500 ped. (I, d).

Legumina nonnunquam abortu 1—2-sperma fiunt, et tunc elliptica dici possunt, ut fecit Thunbergius, siquidem eandem stirpem intellexit.

Reliquae trifoliatæ Thunbergii Galegae sive Persoonii Tephrosiae utrum huc pertineant, an ad Chasmonen Lipozygin aut affinia, nescio.

SESBANIA Pers.

I. ACULEATA PERS. — Cand. l. c. pag. 265.

In graminosis ad ostia fluviorum inter Omsameulo et Omcomas (V, c).

Folia Candollo auctore 25-juga, ex Jacquini icone sub-30-juga, in meis speciminibus haud raro 50-juga. Reliqua congrunt.

SYLITRA.

Calyx subbilabiato - quinquefidus. Carina erecta apice rotundato alis vexilloque subaequalibus brevior. Stamina monadelphia. Stylus glaber, stigmatibus oblique capitellato. Legumen (Lessertiae) scariosum indebiscens compressum seminibus multo latius, — Herba perennis virgata, foliis breve petiolatis simplicibus linearibus erectis, stipulis subulatis, floribus axillaribus geminis vel solitariis minimis breve pedunculatis, leguminibus chartaceis oblongis utrinque obtusis pellucidis glabris ad suturas pubescentibus subtrispermis. — Nomen *συλίθρα*, inter spuria Dioscoridis tanquam Glycyrrhizae synonymon servatum, a Medico quondam Lessertiae tributum, posteaque oblitum, cum novo genere, Lessertiae proximo, reviviscat.

I. BIFLORA.

Bitterwater, haud procul a fluvio Gamka, alt. 2300 ped. (II, d).

LESSERTIA Cand.

Plurimarum specierum legumina certe dehiscunt, licet serius, nec nisi ad apicem. Petala omnium glabra sunt.

§. 1. Legumen inflatum vel compressiusculum subrotundum obovatum vel oblongum.

1. SPINESCENS: fruticosa erecta rigida, foliis 6—8-jugis, foliolis lanceolatis, racemis folium vix aequantibus rigidis demum spinosis, leguminibus compressiusculis oblique obovatis glabris 1—2-spermis.

a pubescenti-canescens, spinis divaricatis.

β. glabrata: glabriuscula pallide virens, spinis tenuioribus longioribus incurvatis.

In collibus asperis inter Goedemanskraal et Kaus, alt. 2500 ped. (III, B).

Var. *β*. ad Modderfonteinsberg, alt. 3500—4000 ped. (III, A, a).

2. RIGIDA CAND.: fruticosa, erecta, rigida, foliis 5—6-jugis, foliolis cuneato-oblongis convolutis et pseudo-linearibus, racemis folio multo longioribus rigidiusculis erecto-patentibus demum subspinescentibus, pedicellis calycibusque nigricantibus, leguminibus compressiusculis oblique obovato-oblongis glabris subtetraspermis.

a. leucomelaena: ramulis racemorumque rachi subvillosis canalicantibus.

β. marina: ramulis racemorumque rachi sordide puberulis, foliolis subcarnosis.

Colutea rigida Thunb. fl. cap. pag. 603.

Var. *a*. Lauwskloof, in argillosis, alt. 2400 ped. (III, D, a).

Var. *β*. in arenosis inter Groenekloof et Saldanhabaai, alt. 200 ped. (III, E, b).

Prioris formae legumina matura fere pollicaria; alterius, quam Thunbergius descripsit, juniora cum ejus descriptione conveniunt, sed grandescere suspicor, nec temere formas adeo similes specie divellere ausim.

*3. **CANDIDA**: fruticosa, erecta, rigida, villosa - candicans, foliis 6—8-jugis, foliolis lanceolatis, racemis folio brevioribus, pedicellis calyce brevioribus, leguminibus turgidis oblique subovatis pubescentibus subhexaspermis.

Aris et Verleptpraam ad Garip, alt. 50 — 300 ped.
(III, B).

*4. **MARGARITACEA**: fruticosa, erecta, glabra, caule sulcato, foliis subsexjugis, foliolis oblongis, racemis folio duplo longioribus incurvatis, bracteolis persistentibus aridis, leguminibus substipitatis compressiusculis oblique obovatis nitidis subcaerulescentibus 1—4-spermis.

In montosis prope Rustbank, alt. 3500 ped. (III, B.)
et Ezelsfontein, alt. 3800 ped. (III, A, a).

*5. **SULCATA**: suffruticosa, erecta, glabra, caule sulcato subgeniculato - flexuoso, foliis multijugis, foliolis lineari-oblongis obtusis emarginatis, racemis folio duplo longioribus crassis sulcatis erectis, leguminibus compressis obovato-oblongis maximis 1—2-spermis.

In rupestribus prope Leenwenkraal in Dutoitskloof, alt. 800 ped. (III, A, e).

Valde accedere videtur ad *Coluteam linearem* Thunb. mihi ignotam; quae tamen differre videtur caule non sulcato, foliolis acutis, racemis incurvatis, leguminibus semi- nec sesquipollicaribus.

6. **MACROSTACHYA CAND.** prodr. II. pag. 272.

Ad ripas fluvii Garip, alt. 200 ped. (III, B).

Folia inferiora saepe 8—12-juga. Pedicelli calyce breviores. Legumina matura subrotunda ovata vel obovata, cum stipite brevi 7—9 lin. longa compressa puberula plerumque tenuissime violaceo-maculata.

7. **FLEXUOSA**: fruticosa, erecta, pubescens, foliis 4—6-jugis, foliolis obovato-oblongis, racemis longissimis flexuoso-erectis, pedicellis calyce duplo longioribus, leguminibus subacinaeiformi-oblongis obovatisve glabris nitidis oligospermis.

a) Ado, in graminosis, alt. 600 ped. (V, a); b) Witbergen, in rupestribus, alt. 6500 ped. (I, a).

Antecedenti similis, at certe diversa. Caulis lignescens multo magis ramosus flexuosusque. Semina in planta Witbergensi 3—5, in Adonensi abortu plerumque 1—2. Praeterea nulla differentia.

8. PERENNANS CAND. l. c. pag. 271.

Colutea obtusata Thunb. fl. cap. pag. 604.

αα. floribus caeruleis.

ββ. floribus albis.

In graminosis a) inter Kachu et Zandplaat, b) inter Gekau et Basche, alt. 1500 ped. (V, b).

Subvar. ββ. in valle humida ad Windvogelberg, alt. 4000—4500 ped. (I, a).

Prorsus eadem, quam in Horti Vindob. III tab. 3 pingi curavit Jacquin. An nunc ex hortis evanuit? Ego saltem pro hac semper *L. brachystachyam* Cand. seu *virgatam* Hortul. obtinui. — Allato Thunbergii synonymo neque descriptio neque locus natalis repugnant, et vix planta adeo vulgaris atque insignis Thunbergium fugere potuerit.

9. PULCHRA SIMS. — Cand. l. c. pag. 272.

In fruticetis montanis a) Draakensteensbergen, alt. 1000—3000 ped., b) Tafelberg, alt. 800 ped. (III, A, e).

Legumina compressiuscula late obovata 15 lineas longa 9 lata 2—3-sperma.

* 10. TENUIFOLIA: herbacea erecta, caule petiolis racemis-que parce substrigilloso pubescentibus, foliis multijugis elongatis, foliolis oblongo-linearibus glabris, racemis folio paulo longioribus secundis, pedicellis calyce brevioribus, calycibus canescentibus, leguminibus inflatis oblique obovatis glabris polyspermis.

* β? minor: foliis subsexjugis, foliolis subtus substrigillosis, calycibus subnigricantibus.

Mooyplaats, alt. 4600 ped. (I, a).

Var. β. (quae forsan specie differt) in saxosis prope Kriegersbaaken ad Compasberg, alt. 4800 ped. (I, c).

* 11. ANNUA CAND. l. c. pag. 271.

Colutea linearis Thunb. l. c.

In arenosis prope Ebenezar infra 400 ped. alt. (III, E, a).

Legumen compressiusculum oblique obovatum glabrum saepius trispermum.

* 12. ABBREVIATA: herbacea erecta glabriuscula, foliis suboctojugis, foliolis subconvoluto-linearibus obtusis, racemis folium subaequantibus, leguminibus subacinaciformi-obovatis glabris subtetraspermis.

(III, D, a)? Aut lecta cum antecedente, aut forsitan cum ea commixta.

An mera antecedentis varietas? Pauca tantum specimina adsunt; sed omnia racemis brevioribus leguminibus paulo majoribus subacinaciformibus facile discriminantur.

13. ACUMINATA: suffruticosa, procumbens, ramis ascendentibus parce strigillosis, foliis 4—5-jugis, foliolis lanceolato-linearibus acuminatis glabriusculis, racemis folio paulo longioribus, leguminibus inflatis cymbiformibus glabris polyspermis.

In graminosis a) ad Buffelrivier, alt. 600—800 ped.,
b) inter Gekau et Basche, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

* 14. PROSTRATA CAND.: herbacea, procumbens, hirta, foliis multijugis, foliolis lineari-lanceolatis obtusiusculis, racemis folium vix aequantibus subtrifloris, pedicellis calycem aequantibus, leguminibus parvis inflatis cymbiformibus pubescentibus 4—6-spermis. — Cand. l. c. pag. 272.

Locus natalis incertus.

15. CAPITATA: herbacea, humifusa, villosa-canescens, foliis 7—9-jugis, foliolis oblongis, racemis subcapitatis longe pedunculatis multifloris, pedicellis inaequalibus, leguminibus glabris polyspermis.

Kasparskloof, alt. 2000 ped. (III, A, a).

Legumen semimaturum turgidulum et oblique oblongum est. Maturi formam divinare non audeo. Proxima haud dubie antecedenti; diversa autem villositate, foliolis paucioribus brevioribus, racemis multo longius pedunculatis multifloris, leguminibusque glabris polyspermis.

16. DIFFUSA R. BROWN. — Cand. l. c. pag. 271.

Colutea tomentosa Thunb. l. c. pag. 604.

β. dendritica: leguminibus paulo angustioribus violaceo-reticulatis.

a) Kasparskloof (III, A, a), *b)* in planitie prope Koussie, Zilverfontein et *c)* Noagas, alt. 1600—2000 ped. (III, B); *d)* in rupestribus prope Gansefontein et Zakriviersport, alt. 3400—3800 ped. (I, d).

Var. *β*. In saxosis planitiei prope Zilverfontein, alt. 2000 ped. (III, B).

Legumina compressiuscula oblique suborbiculata, sutura inferiore multo magis, superiore minus curvata, saepe colore violaceo leviter tincta, subtetrasperma. — In var *β*. legumina paulo minora, magis obovata, eleganter violaceo-reticulata et plerumque polysperma. Ceterum ambae exacte conveniunt.

17. VESICARIA CAND.: herbacea, subdecumbens villosocanescens, foliis 8—10-jugis, foliolis inferioribus obovatis, superioribus lineari-oblongis, racemis vix dimidium folium aequantibus, leguminibus inflatis ovato-subglobosis glabris polyspermis. — Cand. l. c. pag. 272.

Steelkloof in Uitvlugt, alt. 3500 ped. (I, d).

18. MICROCARPA: herbacea, procumbens, villosocanescens, foliis 6—8-jugis, foliolis obovato-oblongis, racemis paucifloris, pedunculo folio duplo longiore, leguminibus inflatis oblique obovatis duriusculis glabris oligospermis.

Modderfonteinsberg, alt. 4000 ped. (III, A, a).

Omnium minima, palmaris vel subspithamaea. Calyces canescentes, nec nigricantes.

19. EXCISA CAND.: herbacea, erectiuscula, pubescens, foliis 6—9-jugis, foliolis emarginatis, inferiorum obovatis, superiorum sublinearibus, racemis terminalibus axillaribusque folio duplo longioribus secundis, pedicellis calycem subnigricantem aequantibus, leguminibus subinflatis falcato-subacinaciformibus, ad suturas puberulis, polyspermis. — Cand. l. c.

Paarlberg, in rupestribus, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e).

§. 2. Legumen compressiusculum lineare.

20. FALCIFORMIS CAND. l. c. pag. 272.

**β. glabrata*: caule foliisque inferioribus glaberrimis.

γ. riparia: caule stricto, foliolis maximis.

δ. minuta: strigilloso-canescens, foliolis minimis.

Vicia pellucida Jacq. hort. schoenbr. II, tab. 222.

Orobus pellucidus Spreng. syst. veg. III, pag. 260.

a) In rupestribus prope Zilverfontein et Koussie; *b)* in planitie sicca inter Goedemanskraal et Kaus, alt. 1500—2000 ped. (III, B).

Var. *β.* in rupestribus inter Koussie et Zilverfontein, alt. 1800 ped. (III, B).

Var. *γ.* in ripa fluvii Garip prope Verleptpram, alt. 300 ped. (III, B).

Var. *δ.* *a)* prope Nieuwejaarsfontein in Winterveld, alt. 3000—4000 ped. (I, d); *b)* Blauwekrans ad Sondagsrivier, in collibus siccis, alt. 1800 ped. (II, c).

Species aut maxime variabilis, aut in posterum dividenda. Planta junior herbacea, adultior fruticosa. Caulis ramique in *α*, *β* et *δ* ascendentes, in *γ* stricte erecti. Foliola inferiora superioribus semper paulo majora, in *γ*. maxima saepe pollicaria infra medium 4 lin. lata, in *δ* minima 1—2 lineas longa, lineam dimidiam lata, impar in omnibus varietatibus haud raro iterum proximis paulo majus. Superficies in *α* *γ* et praecipue in *δ* plus minusve strigilloso-pubescens, pilis appressis brevibus albidis, in *β*, summitatibus exceptis, glaberrima. Calyx plerumque pubescenti-nigricans, nonnunquam glabriusculus, praecipue in *α*, in *β* et *δ* saepius albicans. Racemi nunc brevissimi, nunc folium subaequant, idque saepe in eodem specimine. Legumen varietatis *β* non vidi, apud reliquas semper lineari-oblongum, compressum, rectiusculum vel leviter falcatum, utrinque obtusum vel in *δ* acutiusculum, in *γ* semper glabrum, in *δ* semper puberulum inveni, sed in *α* modo glaberrimum modo puberulum. Longitudine variat a 9 lineis usque ad 2 pollices, latitudine a 3—6 lin. Semina maturat 6—12. Cli Candollii descriptio cum icone in ejusdem Mémoires sur les Legumineuses ad *α* pertinet, sed foliolis jam paulo minoribus, leguminibusque acutiusculis ad *δ* inclinatis, quam Jacquini icon satis exprimit.

21. ANNULARIS BURCH.: herbacea, erectiuscula substrigilloso-pubescens, foliis 6—9-jugis, foliolis oblongo-obovatis sub-

emarginatis minutis, racemis folio paulo longioribus apice paucifloris, leguminibus compressis linearibus subannulari-falcatis puberulis 9—15-spermis. — Cand. l. c.

a) In planitie prope Bokpoort Nieuwefeldiae, alt. 3500 ped. (I, d). b) Matjesvlei, in collibus siccis, alt. 1700 ped. (II, e).

22. BRACHYSTACHYA CAND. l. c.

L. virgata Hort. Berol. — Cf. nr. 8.

a) Ad ostia fluvii Gouritsrivier (IV, C, a); b) in montibus prope Enon, alt. 800 ped. (V, a).

*23. STENOLOBA: herbacea, erecta, pubescens, foliis subquinquejugis, foliolis lineari-lanceolatis acutiusculis, racemis folio duplo longioribus apice paucifloris, pedicellis calyce subbrevioribus, leguminibus compressis linearibus rectis puberulis polyspermis.

Nieuwefeld, inter Waschbank et Rietpoort, alt. 3000—4000 ped. (I, d).

Ab antecedente omnino differt foliis brevioribus, foliolis acutioribus, racemis longioribus, pedicellis plus quam duplo brevioribus, leguminibusque duplo minoribus vix pollicem longis.

SUTHERLANDIA R. Brown.

1. FRUTESCENS R. BROWN. — Cand. l. c. pag. 273.

a. foliolis ellipticis supra glabris, subtus petiolo ramulisque parce pubescentibus, calycis dentibus abbreviatis obtusiusculis.

†β. *incana*: foliolis oblongis utrinque ramulisque pubescenti-candicantibus, calycis dentibus triangulis acutis.

S. incana mihi quondam in herb. Ecklonis.

*γ. *angustifolia*: foliolis anguste lineari-oblongis supra glabris, subtus pubescentibus, petiolo ramulisque incanis, calycis dentibus ex ovata basi breve acuminatis.

S. microphylla Burch.? — Cand. l. c.

δ. *Garipensis*: glabriuscula, foliolis maximis emarginatis, inferioribus ovato-oblongis, superioribus linearibus.

Tafelberg, ad villam Doctoris Liesching (III, E, b).

Var. β. Tafelbaai, circa pharum (III, E, b) legit Ecklon.

Var. γ . *a*) in collibus siccis prope Schiloh, alt. 3500 — 4000 ped. (I, *a*); *b*) Zilverfontein, alt. 2000 ped.; *c*) Orogap, alt. 1800 ped. (III, B).

Var. δ . in insula ad ostia fluvii Garip (III, B).

Primo aspectu, quot varietates distinxī, tot species cernere crederes. Sed comparatis speciminibus pluribus, fines delitescunt. Nec minus, licet aliis modis, plantam cultam variare constat.

Tribus III. **HEDYSAREAE** Cand.

ZORNIA Gmel.

1. **CAPENSIS** PERS. — Cand. prodr. II. pag. 317.

In graminosis *a*) Ado, alt. 800 — 1200 ped. (V, *a*), *b*) inter Zandplaat et Komga, alt. 2000 ped. (V, *b*), *c*) Port Natal, alt. 200 ped. (V, *c*).

Valde suspicor, *Z. angustifoliae* Smith. meram varietatem esse. Est enim vulgo quadrifoliata, saepe etiam trifoliata, nec non interdum bifoliata; et tunc quomodo ab illa differat, non video. Memoratu dignum videtur, specimina diphylla non nisi prope Port Natal lecta esse, ubi jam pluribus plantarum formis insolitis flora Indica quasi praesentitur.

2. **LINEARIS**: foliis quadrifoliatis, foliolis angustissime linearibus acutis, leguminibus echinulatis.

Ad fluvium minorem inter Cataractam magnam et Om-samcaba alt. 800 ped. (V, *b*).

Exceptis iis, quae indicavi, antecedenti simillima.

PATAGONIUM Schrank.

Adesmia Cand.

De nominis mutatione cum clo Candollo consentire nequeo. Si Patagonii nomen, quia patriam spectat, tolerari nequit, ne sectioni quidem tribui debebat; sin minus, generi servandum erat. Veteres autem saepissime plantas ex patria nominarunt, omnesque botanici talia nomina sive receperunt, e. g. Arabidem, Agaricum, Colchicum, Cydoniam, Cerasum, Delphinium, Libanotidem, Ligusticum, Parnassiam, Smyrniam, Thapsiam, sive ipsi

finxerunt, ut Canarinam, Cambogiam, Molucellam, Punicam; ipseque Linnaeus ejusmodi nomina tantummodo, si adjectiva sint, non optima esse, statuit. Cf. philos. bot. pag. 167—169.

1. RACEMOSUM: diffusa, caule petiolis racemisque hispidulis, foliis 4—5-jugis, foliolis subalternis obovato-oblongis glabris, racemis axillaribus dissitifloris bracteolatis, floribus decandris, leguminibus 1—4-articulatis recurvatis laevibus puberulis.

In graminosis inter Omtendo et Omsamculo, et prope Port Natal, alt. 100 ped. (V, a).

AESCHYNOMENE Linn.

* 1. ERUBESCENS: suffruticosa, erecta, glabra, foliis 10—15-jugis, foliolis subtus in nervo medio rachique parce strigillosis, racemis axillaribus subpaniculatis, calycis bipartiti labiis integris apice brevissime mucronulato-denticulatis.

In fruticeto uliginoso inter Omtendo et Omsamculo, alt. 100 ped. (V, c).

2. UNIFLORA: fruticosa, erecta, foliis 15—20-jugis, foliolis glabris, rachi ramisque hispidis, pedunculis axillaribus unifloris folio multo brevioribus scabris, calycis hispidi subbipartiti labiis integerrimis, leguminibus longe stipitatis 7—8-articulatis, articulis marginatis, medio dense, in margine sparsim tuberculatis.

Ad rivulum inter gramina altiora, ad ostia fluvii Omsamculo (V, c).

Caulis virgatus 5—6 pedes altus.

NICOLSONIA Cand.

1. CAFFRA: suffruticosa, erecta, appresse piloso-pubescentibus, foliolis obovato-oblongis complicatis supra glabris utrinque videntibus, racemis terminalibus et axillaribus paniculato-confertis abbreviatis densis, calycibus longe barbatis sericeo-helvolis, leguminibus deflexis quadriarticulatis pubescentibus.

Ad fluvium minorem inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 800 ped. (V, b).

Caulis 2—3-pedalis pennam anserinam crassus subsimplex. Proxima videtur *N. venustulae*.

2. **SETIGERA**: herbacea, erectiuscula, caule subvillosa, foliolis late obovatis utrinque appresso-pilosis, racemis terminalibus longissimis filiformibus rectis floribus geminis distantibus, pedicellis capillaceis, calycibus setoso-barbatis, leguminibus 4—5-articulatis, puberulis.

Desmodium setigerum mihi in *Drèg.* semin. catal.

Inter gramina altiora prope Omsamwubo, alt. 1200 ped. (V, b).

A *N. cajennensi* Cand. differt foliis multo majoribus et evidentius obovatis, racemisque elongatis.

DESMODIUM Cand.

1. **GRANDE**: fruticosum, foliolis elongato-ovatis acutis subtus ad nervos appresso-substrigillosis, racemis terminalibus elongatis laxis nutantibus calycibusque substrigillosis, bracteis deciduis ante florescentiam dense imbricatis lanceolatis acuminatis nervoso-striatis ciliatis, leguminibus coriaceis subpubescentibus, articulis 4—6 ut plurimum subquadratis.

Locis humidioribus planitiei inter Omblas et Port Natal, vix 100 ped. alt. (V, c).

Ambigit inter Candollii sectiones primam et ultimam. Racemis laxis ad hanc, leguminibus coriaceis ad illam, articulis plerumque subquadratis, nonnunquam vero semiorbiculatis, ad utramque spectat.

ANARTHROSYNE.

Omnia Desmodii praeter legumen, quod lineare subfalcatum compressum, articulis spuriiis (fragilibus quidem, sed neque sponte secedentibus, neque intus clausis) subquadratis. — Habitus Desmodiorum majorum, sed foliola obsolete et grosse repando-crenata, panicula terminalis maxima. — Nomen quoad significationem idem quod *Anarthria* R. Brown., i. e. absque articulatione; sed a verbo ἀρθρῶν, nec ab adjectivo ἀναρθρῶς de-

ductum. — Genus anomalum, Desmodio certe proximum, legumine tamen ad Galegeas accedens. An huc pertinent *Desmodium Scalpe* et *rebandum*, quae forte removenda esse, jam censuit el. Candollius prodr. II pag. 334?

I. ROBUSTA.

Desmodium robustum mihi in Drèg. sem. catal.

In valle inter gramina altiora prope Omgaziana, alt. 1200 ped. (V, b).

Caulis fere tripedalis erectus sulcatus tomentosus crassus, vix tamen fruticosus. Foliola subtus et ad marginem tomentosa, superne in nervis hirsuta ceterum glabra, lateralia oblique ovata plerumque acutiuscula, terminale majus, pollices tres et quod excedit longum subellipticum saepius obtusum, evidentius quam lateralia *rebandum*. Panicula terminalis villosissima densiflora, pedicellis bracteas vix aequantibus. Calyx Desmodii. Petala glabra calyce parum longiora subaequalia. Carina demum reflexa. Stamina diadelpa. Germen lineare retrorsum falcatum villosum, stylo filiformi glabro. Legumen item retrorsum subfalcatum pubescenti-scabriusculum subhexaspermum.

ALYSICARPUS Neck.

I. GLABER: ascendens, glaber, foliis subcordato-oblongis, petiolis stipulas aequantibus, racemis terminalibus imbricatis, bracteis late ovatis calyce brevioribus subciliolatis deciduis, calycis quadripartiti laciniis subaequalibus erectis glumaceis setosociliatis, superiore apice bidentata, reliquis acutis, leguminibus calycem vix excedentibus compressiusculis glaberrimis 4—5-articulatis stylo recto mucronatis, articulis transversim profunde rugosis latioribus quam longis.

a) Inter gramina altiora inter Omsamwubo et Omsamcaba, alt. 1500 ped. (V, b): b) ad ostia fluvii Omsamculo in fruticetis, vix 100 ped. alt. (V, c).

Ab A. Wallichii Wight. et Arnot. prodr. fl. ind. orient. I p. 234 nonnisi petiolis paulo longioribus, pedicellis paulo brevioribus, calycibusque paulo magis ciliatis differre videtur. An itaque specie diversus?

Tribus IV. **VICIEAE** Cand.**VICIA** Linn.1. **SATIVA** LINN. — Cand. prodr. II. pag. 360.

In fruticetis prope Paarl, alt. 400 ped. (III, D, a), an
aufuga?

Tribus V. **PHASEOLEAE** Cand.**ABRUS** Linn.

Cl. Hugo Mohl in tractatu über den Bau und das Winden der Ranken und Schlingpflanzen pag. 125 Abrum precatorium inter plantas dextrorsum volubiles recenset; cl. Palm in ejusdem argumenti libello, über das Winden der Pflanzen, inter sinistrorsum volubiles. Equidem Abrum precatorium cum Asiaticum tum Americanum, speciesque ambas Africanas statim describendas, semper sinistrorsum volubiles inveni. Quod silentio praeteriissem, nisi Mohlii auctoritas apud me summa esset.

*1. **SQUAMULOSUS**: racemis axillaribus, fructiferorum rachi crassa subdivaricata folium vix superante, leguminibus coriaceis latitudine circiter duplo longioribus subhexaspermis tenuissime squamuloso-tuberculatis subtomentosis.

Port Natal, alt. vix 100 ped. (V, c).

Quoad folia fructusque formam simillimus *A. precatorio*, diversus superficie leguminis. Semina rubra, macula nigra, sed rubore minus ardente.

2. **LAEVIGATUS**: racemis terminalibus rachi gracili fructifera vix aucta, leguminibus submembranaceis subfalcatis latitudine quintuplo longioribus 6—8-spermis laevibus glabriusculis.

a) Ad ripas fluvii Basche, alt. 500 ped. (V, b); b) prope Omtendo, alt. 100 ped. (V, c).

A. fruticulosum Wight. et Arnot. fl. ind. orient. I pag. 236 esse crederem, nisi caulis esset volubilis. Calyx brevissime quadridentatus, dente superiore emarginato. Vexillum ovatum acutiusculum. Carina vexillo aequalis acutiuscula inde

a medio dorso levissime incurvata. Alae carina breviores. Stamina novem monadelphia antice fissa ima basi utrinque vexillo adhaerentia.

B U J A C I A.

Calyx bibracteolatus bilabiatus, labio inferiori tri- superiori semibifido, laciniis subaequalibus subulatis vexillo vix brevioribus. Vexillum obovatum concaviusculum. Alae vexillum subaequantes carinae adhaerentes. Carina brevior erecta subtruncata biceps. Stamina monadelphia, alterna sterilia vel imperfecta. Stylus brevis rigidulus sensim attenuatus. Stigma capitatum. Legumen rectum compressum lineare polyspermum intus isthmis interseptum. Semina subovata ventre affixa absque caruncula. — Herbae volubiles, helvolo-hirsutae. Folia trifoliata; foliola stipellata, intermedium petiolatum. Racemi subspicati interrupti elongati. Flores minimi rubelli. — Genus *Sweetiae* atque *Teramno* affine dicavi clo Bujack, apud gymnasium Fridericianum, quod Regiomonti floret, superiorum ordinum praeceptori, botanices cultori sedulo et propagatori felicissimo. Species, quamvis inter se satis similes, tamen duorum forsan subgenerum typos praebent.

1. ANONYCHIA: vagina staminifera antice clausa, leguminibus subtorulosis muticis pentaspermis, foliolis late ovatis acuminatis.

In fruticetis prope Port Natal, infra 100 ped. alt. (V, c).

2. GAMPSONYCHIA: vagina staminifera superne fissa, leguminibus planis antrorsum apiculatis 10—12-spermis, foliolis elliptico-ovatis oblongisve obtusis.

a) Ad ripas fluvii Key, in fruticetis, alt. 500 ped. (V, b);

b) inter Omtendo et Omsamculo, in graminosis, infra 100 ped. alt. (V, c).

ERIOSEMA Cand.

tanquam *Rhynchosiae* sectio ultima.

Calyx ebracteolatus subbilabiato - quinquefidus petalis brevior. Vexillum processibus binis deorsum versis subgibbosis alas liberis processibus hamatis auctas comprimens. Carina erectiu-

sculo-incurvata obtusa. Stamina diadelpa, decimum basi geniculatum. Stylus filiformis superne vix evidenter incrassatus, demum elongatus et sigmoideo-flexuosus. Stigma obtusum. Legumen sessile rhomboideo-ovatum dispermum inter semina levissime contractum intus pervium. Semina immatura ascendente, matura reclinato-transversa oblonga, caruncula longa angusta bilamellosa a basi per ventrem excurrente. — Herbae suffruticosae flexuoso-erectae, nec unquam sive omnino procumbentes sive vere volubiles, saepissime glandulis minutissimis auronitentibus adpersae, quae in foliis lente simplici aegrius conspiciuntur, in calycibus petalisque, praecipue in dorso vexilli paulo majores et frequentiores esse solent. Folia trifoliata, foliolis exstipellatis, impari breve petiolulato, rarius unifoliata. Racemi axillares, in speciebus Africanis vel subspicati retrorsum imbricati vel subspicato-capitati (in Americanis paulo laxiores, floribus erectiusculis).

Inter species Americanas *E. diffusum*, *crinitum* et *violaceum* ipse examinavi et huc pertinere didici. Quare de reliquis apud cl. Candollium indicatis non dubito. *E. diffusum* analysis in H. B. et Kunth. nov. gen. vol. VI. tab. 574. exactam totius generis ideam exhibet. Apud sequentes species ibidem delineatae in tabb. 575 et 576., *E. crinitum* et *rufum*, semina matura desiderantur. Immatura autem praecipuum generis characterem, situm puta seminum transversum, nondum ostendunt. Ceterum eodem characterem praecipuo Lablab a Dolicho, Fabam a Vicia, alia ab aliis generibus segregaverunt.

§. 1. Foliis plerisque unifoliatis, racemis subspicatis retrorsum imbricatis calycis laciniis lanceolatis.

* 1. **CORDATUM**: caule flexuoso, helvolo-piloso, pilis antrorsum patulis, foliis plerisque simplicibus ovato-cordatis, lateralibus, ubi adsunt, oblique oblongis, racemis folium vix superantibus longe pedunculatis.

Inter Gekau et Basche in graminosis, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

Folia superiora nunc trifoliata, nunc quoad formam inferioribus subsimilia simplicia et tunc fere duplo majora, pollices 5 longa, 4 lata. Vexillum violaceum.

§. 2. Foliis omnibus trifoliatis racemis subspicatis retrorsum imbricatis vel subcapitatis, calycis laciniis lanceolatis.

*2. RETICULATUM: caule flexuoso retrorsum helvolo-hirsuto, foliolo intermedio obovato-oblongo, lateralibus oblique oblongis, omnibus acutis subtus transversim venoso-reticulatis ad venas appresso-hirsutis fuscescentibus, racemis folio brevioribus paucifloris.

In Caffria (V, b vel V a), loco speciali dubio.

Vexillum violaceum.

3. ZEYHERI: caule flexuoso-erecto, retrorsum hirsuto, foliolis oblongis utrinque acutiusculis subtus incano-tomentosis, racemis folio multo longioribus longe pedunculatis multifloris gracilibus.

a) Zwartkopsrivier, ad ipsius ripas, infra 100 ped. alt. (IV, C, c); b) Ado et c) Zuurebergen, in graminosis alt. 1200—2000 ped. (V, a); d) Klipplaatrivier, ad ipsius ripas, alt. 3400 ped. (I, a). — Idem Uitenhaag (IV, C, c) legit Zeyher.

Vexillum violaceum.

4. DREGEI: caule erecto retrorsum subtomentoso-hirsuto, foliolo intermedio obovato, lateralibus oblique ellipticis, omnibus obtusis subtus incano-tomentosis, racemis longissime pedunculatis rigidis multifloris.

In graminosis ad Omsamculo, infra 100 ped. alt. (V, c).

Petala concolora lutea.

5. SALIGNUM: caule flexuoso-erecto retrorsum appresso-hirsuto sericeo-argentato, foliolis omnibus oblongo-lanceolatis acutis subtus tomentosus sericeo-argentatis, racemis folio subbrevioribus rigidiusculis paucifloris subsecundis.

* β ? *lanceolatum*: foliolis exacte lanceolatis, leguminibus albo-
(nec helvolo-) villosis. (An species peculiaris?)

In graminosis *a*) prope Kachu, alt. 1500 ped., *b*) inter
Zandplaat et Komga, alt. 2000—2500 ped. (V, *b*), *c*) prope
Omsamculo, infra 100 ped. alt. (V, *c*).

Var. β . Zuurebergen prope Dornnek, 2500 ped. alt.
(V, *a*).

Variat vexillo caeruleo et reliquis petalis concolore luteo.

Var. β . florentem non vidi.

* 6. TRINERVE: caule flexuoso retrorsum hirsutiusculo, fo-
liolis oblongo-lanceolatis acutiusculis usque ad medium trinerviis,
subtus inter venas subfuscis virentibus pubescentibus, racemis
folium subaequantibus paucifloris.

In Caffria (V, *b*).

Petala cuncta lutea.

7. CAPITATUM: caule erecto antrorsum appresso - pube-
scente canescente, foliolis lanceolato-oblongis utrinque acuti-
usculis subtus incano-sericeis, capitulis subglobosis involu-
cratis longe pedunculatis.

Ad fluvium Ruigtevlei in fruticetis, infra 100 ped. alt.
(IV, C, *b*).

Petala omnia violacea. Proximum sane E. diffuso seu
Rhynchosiae diffusae Cand., cujus flores jam fere subca-
pitati sunt.

§. 3. Foliis floribusque antecedentium, calycis laci-
niis dilatatis abbreviatis.

8. PARVIFLORUM: caule erectiusculo retrorsum helvolo-
hirsuto, foliolis obovato-ellipticis oblongisve obtusis subtus sub-
fusco-reticulatis inter venas virentibus pubescentibus, racemis
elongatis longe pedunculatis multifloris, calycis laciniis subtrian-
gularibus obtusiusculis.

In vallibus humidis inter gramina, *a*) inter Omsamculo
et Omcomas, *b*) prope Omblas et *c*) Port Natal, ubique infra
100 ped. alt. (V, *c*).

* 9. POLYSTACHIUM: caule erecto sulcato antrorsum cinereo-
pubescente, foliolis oblongis basi acutiusculis apice rotundatis

subtus cinereo-tomentosis, racemis folio paulo longioribus multifloris brevius pedunculatis, calycis laciniis ovatis obtusis.

In Caffria (V, c).

Flores ni fallor lutei. Cf. *Rhynchosia psoraloides* Cand. ex Madagascar, quam aut huic speciei proximam aut eandem esse puto.

ORTHODANUM.

An *Arcyphyllum* Elliot?

Calyx ebracteolatus, fere ad basin subbilabiato-quinquefidus, laciniis omnibus lineari-subulatis petala aequantibus, supremis binis et infima paulo longioribus. Petala et genitalia omnino Eriosematis, sed stylus superne evidentius incrassatus. Legumen sessile rectum elliptico-oblongum dispermium inter semina levissime coarctatum intus pervium. Semina subglobosa, caruncula brevissima bipartita. — Frutices erecti plus minusve sericei. Folia infima saepe unifoliata, reliqua trifoliata, foliolis exstipellatis. Racemi brevissimi pauciflori floresve subsolitarii erecti axillares, versus apices caulium ramorumque thyrsos foliosos constituentes. — Nomen derivatum ab adjectivo ὀρθός, rectus, eodem modo, quo veteres *Erythrodanum* fecere; ob caulem erectum inter *Phaseoleas* rarius occurrentem.

Cum *Arcyphylo* Elliot. convenire suspicor, ejus tamen generis nec ullam vidi speciem, nec plenius descriptam delincentamve novi. — Species hic proponendae habitu quidem diversissimae, an nihilominus forsan merae varietates sint, nescio.

1. **LATIFOLIUM:** foliis simplicibus late ovatis subretusis, trifoliorum foliolis oblongis sericeo-pubescentibus canescenti-virentibus, calycibus albido-villosis.

Inter Basche et Omtata, alt. 800—2000 ped. (V, b).

Foliolum intermedium saepe pollices duos longum, unum latum.

2. **SORDIDUM:** foliis simplicibus ovatis obtusiusculis, trifoliorum foliolis oblongis pubescentibus, demum subglabratis sordide virentibus, calycibus subnigricanti-pubescentibus.

a) Inter Omsamwubo et Omsamcaba, 800 ped. alt. (V, b); *b)* inter Omcomas et Port Natal, alt. 200 ped. (V, c).

Antecedente omnibus partibus paulo minor, foliolaque angustiora, venulis subtus ad lentem subnigricantibus.

3. ARGENTEUM: foliis simplicibus trifoliorumque foliolis subconformibus cuneato-oblongis sericeo-villosis argentatis, calycibus albido-villosis.

In collibus graminosis *a)* prope Buffelrivier, alt. 1500 ped. et *b)* prope Key, alt. 800 ped. (V, b).

Foliola vix pollicem longa, supra medium 4—5 lineas lata.

C O P I S M A.

Rhynchosiae spp. Cand.

Calyx ebracteolatus, petalis brevior bilabiatus, labio inferiori tripartito, lacinia media elongata, superiori bifido. Petala et genitalia Eriosematis, sed stylus superne evidentius incrassatus. Legumen substipitatum vel sessile basin versus angustatum, acinaciforme vel rectiusculum, dispermum, inter semina levissime coarctatum, intus pervium. Semina lenticulari-reniformia vel subglobosa, caruncula breve bipartita. — Herbae rarius suffruticosae procumbentes vel volubiles, saepe ad petala usque glandulis adpersae, rarius pilis glanduloso-viscosis vestitae. Folia trifoliata, foliolis tenuissime stipellatis vel exstipellatis, saepe rhomboideis, impari petiolulato. Racemi rariusve pedunculi subuniflori axillares erecti. — Nomen a substantivo *κοπίς*, cultrum, mediante verbo *κοπιζω*, derivatum, ad modum Alismatis ab *ἄλλω*.

Rhynchosia Cand. in genera sequentia discedere videtur. 1. Rhynchosia Lourr.: species unica minus nota, a clo Candollo visa quidem, sed non descripta. Ab omnibus reliquorum auctorum Rhynchosiis et affinibus recedere videtur carina longe rostrata, quae nomen impertiit, ceteris minime congruens. 2. Eriosema, ab ipso clo Candollo indicatum et supra ulterius expositum. 3. Orthodanum, statim allatum, seu Arcyphyllum Elliot., siquidem revera idem genus est, ab Eriosemate diversum calyce legumine et semine. 4. Nomismia Wight

et Arnot (in prodomo flor. penins. Ind. Orient. I. pag. 236), ab antecedentibus recedens imprimis caruncula seminum lata car-nosa. Semina utrum valvulis contraria sint, nec ne, a ell. aucto-ribus non indicatur. 5. Copisma hoc nostrum, Nomismiae for-
 san proximum genus, diversum tamen legumine subacinaciformi nec orbiculari, seminumque caruncula minuta. Huc pertinet Rhynchosia caribaea Cand. et ni fallor plures species Ame-ricanae. 6. Restant Rhynchosiae Asiaticae mihi ignotae, quarum vexillum ecallosum dicunt Wight et Arnot. Quod si pro-
 cessuum vexilli defectum significaret, sexti generis characterem sisteret; si nil nisi horum processuum substantiam minus callo-
 sam indicaret, non impediret, quin has species Copismati subji-
 ceres. Gradatim enim horum processuum substantia ex mere petaloidea in perfecte callosam transit.

1. **TOTTUM:** caule procumbente vel volubili, foliolis ovatis oblongisve acutis ciliatis reticulatis eglandulosis, pedunculis 1—2-floris folio brevioribus vel subaequalibus, calycibus leguminibus-que rectiusculis pilosis.

Rhynchosia totta Cand. prodr. II. pag. 388.

In montosis graminosis a) inter Zondagrivier et Kuga alt. 800 ped. (IV, C, c), b) Klein Bruintjeshoogte, alt. 3000 ped. (V, a), c) prope Gekau, alt. 500—1000 ped. (V, b).

Caulis plerumque decumbens, rarius, ut a clo Candollo de-
 scribitur, volubilis, et tunc pedunculi longiores folium fere su-
 perantes. Foliola vix semipollicaria. Flores lutei.

2. **GLANDULOSUM:** caule filiformi subvolubili, foliolis in-
 fimis ovatis, superioribus oblongis lanceolatisve glabris subtus glanduloso-punctatis margine subreflexo, pedunculis 1—3-floris folio duplo longioribus, calycibus valde glandulosis leguminibus-que substipitatis inflexis tenuissime puberulis.

Rhynchosia glandulosa Cand. l. c.

In montosis humidis inter frutices a) Tafelberg, b) Paarl-
 berg, c) Dutoitskloofbergen, alt. 1000—2500 ped. (III, A, e);
 d) ad montem prope Hoogekraalsrivier, alt. 800 ped. (IV, A).

* 3. **PILOSUM:** caule filiformi volubili patentim piloso, fo-
 liolis infimis ovato-oblongis superioribus linearibus eglandulosis

reticulatis nitidis ciliatis, pedunculis 1—2-floris folium aequantibus, leguminibus falcato-acinaciformibus hirsutis.

* β ? *Caffrum*: foliis brevissime petiolatis, leguminibus subvillosis.

Zuurebergen, in asperis, alt. 2000—3000 ped. (V, a).

Var. β . inter Omtendo et Omsamculo, in collibus inter gramina, alt. 300 ped. (V, c).

4. PANICULATUM: caulibus flexuoso-erectiusculis filiformibus patentim pilosis, foliolis infimis ovato-oblongis, superioribus oblongo-lanceolatis petiolo vix longioribus eglandulosis reticulatis nitidis longe ciliatis, pedunculis subbifloris folio vix longioribus, supremis subpaniculatis, leguminibus sessilibus rectiusculis dilatatis hirsutis.

a) Klein Vischrivier, in collinis, alt. 1800 ped. (V, a);

b) Katrivierspoort, alt. 1500 ped. (V, a).

* 5. TRICHODES: caule procumbente flexuoso pilis helvolis patentim pilosissimo, foliolis elliptico-oblongis acutiusculis reticulatis utrinque helvolo-pilosis subtus glanduloso-punctatis longitudine petiolorum, pedunculis subunifloris folium aequantibus, leguminibus (semimaturis) rectiusculis villosis.

(V, b)?

* 6. GLABRUM: caule volubili subangulato hirto, foliolis ovatis acutis rigide mucronatis supra glabris subvernatis, subtus glanduloso-punctatis ad nervum medium marginesque ciliatis, pedunculis 2—3-floris folio duplo longioribus curvatis, leguminibus substipitatis inflexis glabris ad suturas puberulis subundulatis.

Rhynchosia glabra Cand. l. c. pag. 387.

Giftberg, alt. 1200—2000 ped. (III, A, c).

Flores ex luteo fulvo et violaceo varii.

7. VISCIDULUM: caule fruticuloso, apicibus subvolubilibus, pubescenti-viscido, foliolis cordatis ovatis vel subrotundis utrinque puberulis, subtus glanduloso-punctatis, racemis longe pedunculatis paucifloris, leguminibus subfalcatis pilosis glandulosis.

* a. *nemorale*: magis volubile, foliolis majoribus tenuioribus subcordatis piloso-pubescentibus.

β. campestris: vix volubile, foliolis minutis firmioribus subrotundis subtomentoso-pubescentibus.

Var. *α*. in rupestribus ad montem prope Kasparskloof, alt. 2000—3000 ped. (III, A, c).

Var. *β*. inter Koussie et Garip, alt. 1000—2000 ped. (III, B).

Foliola varietatis *α* 6—9 lineas, var. *β* 3—4 lineas longa. Sed adsunt plura specimina omnino intermedia. Flores fere antecedentis. Excepta statura longe minore, valde accedit ad *Fageliam bituminosam*; sed legumen vix turgidulum est.

8. EFFUSUM: caulibus procumbentibus puberulis, foliolis tenuissime stipellatis ovato-rhombeis puberulis reticulatis utrinque glanduloso-punctatis, racemis longe pedunculatis paucifloris, bracteis lanceolato-subulatis deciduis, calycibus vexilloque glanduloso-punctatis, leguminibus sessilibus rectiusculis hirsutis vel subglabratis.

In graminosis montosis *a*) Katberg, alt. 3500—4000 ped. (I, a), *b*) Katrivierspoort, alt. 1500—2000 ped. (V, a), *c*) Bufelrivier, alt. 1500 ped. (V, b).

Habitus fere *Copismatis* (seu *Rhynchosiae*) *Caribaei*, etsi longe diversum. Flores lutei.

9. PICTUM: caule volubili vel declinato foliisque subtomentosis, foliolis eglandulosis lateralibus valde obliquis extus gibbis, intermedio ovato-rhombeo, racemis elongatis strictis ebracteatis, leguminibus late acinaciformibus pilosissimis glandulosis.

a) Ad ripas fluvii Ruigtevalei (IV, C, b); Port Natal (V, c), ubique infra 100 ped. alt.

Flores variegati. A sequenti caute distinguendum, imprimis bractearum defectu, quae tamen sequentis etiam cito decidunt.

10. DIVERSIFOLIUM: caule procumbente vel subscandente (nec unquam volubili) hirsuto, foliolis subrhombeo-ovatis obovatis oblongisve, lateralibus extus nunc valde gibbis nunc fere aequalibus, reticulatis subtomentosis vel ad nervos tantum hirsutis eglandulosis, racemis elongatis, bracteis lanceolatis pedicello longioribus deciduis, leguminibus late acinaciformibus hirsutis.

In graminosis a) Buffelrivier, b) inter Kachu et Zand-
 plaat, c) Gekau, alt. 1000—2000 ped. (V, b); d) Camdeboos-
 berg, alt. 4000 ped. (II, b).

Legumen quoad formam floresque antecedentis, quocum
 haud raro etiam foliolorum forma convenit. Plerumque tamen
 foliola, praesertim superiora multo magis elongata minusque hir-
 suta. Ceterum adeo variat, ut singulas varietates proponere non
 ausim. Foliolum intermedium nunc pollicem longum latumque,
 raro adhuc brevius quam latum, nunc duos pollices longum et
 9—18 lineas latum. Caules steriles prope flagelliformes, stipulis
 magnis oblongis patentissimis; fertiles varie flexi, stipulis triplo
 minoribus.

11. **TENUE:** caule filiformi volubili pubescente, foliolis
 subrhombéo-ovatis obtusis puberulis, subtus minutissime glandu-
 loso-punctatis, racemis subgeniculato-flexuosis folio parum lon-
 gioribus, fructiferis elongatis, rachi calycibusque tenuissime
 subtomentoso-glandulosis, leguminibus acinaciformi-falcatis pu-
 berulis.

In graminosis ad maris littora inter Omtendo et Omsam-
 culo (V, c).

Foliola inferiora fere pollicem longa et paulo minus lata,
 superiora minora et magis ovata. Flores parvi lutei vel sub-
 variegati.

12. **FALCATUM:** glabriusculum, caule filiformi procumbente
 vel subscandente angulato, foliolis tenuissime stipellatis, inter-
 medio dilatato rhomboideo, lateralibus margine interiore diminu-
 tis, subtus glanduloso-punctatis, racemis gracilibus folio multo
 longioribus, floribus nutantibus, pedicellis calyce brevioribus,
 calyce petalisque glanduloso-punctatis, leguminibus acinaciformi-
 falcatis parce pilosis.

Rhynchosia falcata mihi quondam in Drèg. semin. catal.

Inter Omtata et Omsamwubo in graminosis, alt. 1000—
 2000 ped. (V, b).

Flores in genere minimi, lutei.

*13. **NITIDUM:** cuule teretiusculo filiformi volubili glabriu-
 sculo, foliolis dilatato-subtriangulis, lateralibus margine interiore

parum diminutis, utrinque glabris nitidis eglandulosis ciliatis, racemis folio subaequalibus paucifloris, floribus erectiusculis, pedicellis calycem pubescentem subeglandulosum aequantibus, leguminibus acinaciformibus glabriusculis subtrispermis.

In collibus graminosis prope Omsamculo, ait. 100 ped. (V, c).

14. GIBBUM: caule tereti volubili pubescente, foliolis subtriangulo-ovatis, intermedio utrinque, lateralibus extus gibbis, utrinque glabris, ad margines tenuissime puberulis, subtus glanduloso-punctatis, racemis gracilibus folio longioribus dissitifloris, floribus erectiusculis, pedicellis calycem velutinum parce glandulosum aequantibus, leguminibus acinaciformibus longe mucronatis pilosissimis.

a) Galgebosch, in sylva (IV, C, c); b) Enon, ad rivulos inter fruticeta (V, a); c) Gekau, in valle nemorosa (V, b); ubique alt. 500—1000 ped.

§. 1. Species, habitu peculiari, fructuque ignoto, quoad genus dubiae; fortasse Fageliae, aut sui generis.

15. ROTUNDIFOLIUM: caule filiformi angulato prostrato puberulo, foliis longe petiolatis, foliolis tenuissime stipellatis elliptico-subrotundis reticulatis, utrinque glabris, ad marginem subreflexum tenuissime puberulis, subtus glanduloso-punctatis, racemis folio longioribus longe pedunculatis densifloris, bracteis subrotundis persistentibus pedicellos vix superantibus, calycibus pubescentibus petalisque glanduloso-punctatis.

Omsamcaba, in graminos, alt. 500 ped. (V, b).

Habitus omnino peculiaris. Foliola 6—8 lineas longa, 4—5 lineas lata, apice rotundata, duriuscula nitidula. Stipulae bracteis conformes ovatae vel subrotundae circiter 2 lineas longae nervosae virentes patulae. Flores majores erecti lutei breve pedicellati. Calycis lacinia impar reliquis duplo longior complicato-subfalcata, carinae dorsum subaequans. Vexilli processus brevissimi. Alae subaurantiacae vexillo breviores, processibus longe hamatis. Carina obtusissima, vexillo paulo lon-

gior. Stamen anterius ad basin articulatum, sed non geniculatum. Legumen vix semimaturum rectiusculum subovatum turgidulum dispermium flavo-pilosum.

* 16. **GRANDIFOLIUM**: caule rigido tereti procumbente helvolo-subvillosa, foliolis subcordato-ovatis utrinque pubescentibus eglandulosis, stipulis late cordatis hirsutis, racemis subspicatis elongatis, bracteis ovatis persistentibus calycis tubum subaequantibus calycibusque hirsutis obsolete glandulosis.

In collibus prope Katrivier, alt. 1500—2000 ped. (V, a).

Habitus *Fageliae bituminosae*, sed omnia robustiora. Foliola 2—4 pollices longa $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$ lata, impar longe petiolulatum, lateralia parum obliqua. Flores quoad magnitudinem petala et genitalia iis *Fageliae* simillimi; sed calycis lacinia impar reliquis duplo longior. Legumen non vidi.

* 17? **SIMPLICIFOLIUM**: foliis simplicibus, stipulis cordato-ovatis acuminatis, bracteis ovato-lanceolatis.

Omtata, in collibus graminosis, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

Nihil differt ab antecedenti praeter ea, quae indicavi. An igitur mera varietas, quales inter *Eriosemata* occurrunt frequentes?

FAGELIA Cand.

excluso Neck. syn.

Calyx ebracteolatus ultra medium quinquefidus, laciniis subaequalibus lateralibus subfalcatis superioribus longius connatis. Vexillum ad basin processibus minutissimis auctum. Carina erecta obtusa. Stamina diadelpha, decimum basi articulatum (nec vero geniculatum). Stylus glaber inde a flexura crassior. Legumen inflatum tenue superne dehiscens 4—6-spermium. Semina subglobosa, caruncula subcarnosa biloba, lobis subtriangularibus.

Fagelia Necker. longe alia ac *Candollii* planta esse oportet, quoniam simplicifolia et a *Bergio Crotalariis* associata dicitur. Illa enim trifoliata est et in *Bergii* opere nec inter *Crotalarias* nec alibi occurrit.

1. BITUMINOSA CAND. prodr. II pag. 389.

Prope Paarl in nemorosis ad rivulos, alt. 500 ped. (III, D, a).

CHRYSOCIAS.

Calyx ebracteolatus, profunde quinquefidus, laciniis subaequalibus lanceolatis rectis ad basin subangustatis, impari carinata. Vexillum magnum absque appendicibus in unguem attenuatum. Alae ad basin semicordatae. Carina fornicata. Stamina diadelpa, decimum ad basin articulatum (nec vero geniculatum). Stylus inferne hispidulus, supra flexuram glaber crassior. Legumen oblongum turgidum induratum 2-spermum. Semina reniformia, caruncula parva biloba, lobis subtriangularibus. — Plantae volubiles suffruticosae. Folia trifoliata, foliola exstipellata angusta elongata, impar petiolulatum. Umbellae 2—6-florae pedunculatae axillares, spatha bivalvi arida decidua stipulis simillima. Flores lutei. Semina nigra nitida. Glandulae minutae auro-nitentes, per omnes fere partes usque ad calycem sparsae. — Genus *Cylistae* nondum satis definitae sane proximum, sed floribus umbellatis in tota tribu distinctissimum. Hinc nomen, *ομβράδα χρύσεα*, umbellam auream, significans.

1. GRANDIFLORA: foliolis oblongo-lanceolatis, adultis subtus inter venas glabriusculis helvolis, margine irregulariter revolato pseudorepandis, calycis laciniis oblongo-lanceolatis superioribus binis nonnisi ima basi connatis, vexillo amplo retuso.

Kaymansgat, alt. 400 ped. (IV, C, b).

*2. MEDIA: foliolis oblongo-lanceolatis subtus canescenti-tomentosis, margine aequaliter subreflexo, calycis laciniis oblongo-lanceolatis, superioribus binis fere ad medium connatis, vexillo amplo subretuso.

Cum antecedente lecta (IV, C, b).

3. PARVIFLORA: foliolis lanceolatis subtus albido-tomentosis, margine planiusculo, calycis laciniis lineari-lanceolatis, superioribus binis ad medium connatis, vexillo oblongo obtuso.

George, in fruticeto ad montem, alt. 500—1000 ped.

(IV, C, b).

*4. CALYCINA: foliolis lanceolato-linearibus utrinque alben-
tibus, subtus tomentosis, calycis laciniis linearibus corollam ae-
quantibus, superioribus binis ultra medium connatis.

Cylista angustifolia mihi quondam in herb. Ecklonis (ad spe-
cimina manca).

Van Staadesberg, alt. 500—1000 ped. (IV, C, c).

LABLAB Adans.

I. VULGARE SAV. — Cand. prodr. II pag, 401.

**α. nigrum* Cand. l. c.

**γ. albiflorum* Cand. l. c.

δ. microcarpum.

L. microcarpum Cand. l. c. pag. 402.

Var. *α.* Port Natal, alt. 100 ped. (V, c).

Var. *γ.* colitur a colonis.

Var. *δ.* in fruticetis *a)* inter Omsamculo et Omcomas,
et *b)* Port Natal, infra 100 ped. alt. (V, c).

Legumen plantae cultae (*γ*) 3-spermum, simillimum ei,
quod Gaertnerus tab. 150 fig. 3 delicavit, sed intus prope pervium;
plantae spontaneae flore violaceo (*α*) 6-spermum angustius nec
longius, apice subexcisum; plantae demum spontaneae microcarpae
(*δ*) 2-spermum, vix sesquipollicari longitudine, 9 lineas latum,
apice truncato-excisum, basi ad suturam superiorem paulo minus
excisum. Est itaque *L. microcarpum* Cand. l. c. pag. 402,
quod tamen ell. Wight et Arnot merito cum vulgari con-
junxerunt.

DOLICHUS Linn.

Dolichi sectio I. Cand.

Calyx bibracteolatus campanulatus limbo bilabiato, laciniis
basi latis brevibus, superioribus binis plus minusve connatis.
Vexillum ad basin callo epipetalo semilunari furcatove auctum.
Alae ad basin hinc hamatae. Carina incurvata subrostrata. Sta-
mina diadelpa, decimum ad basin extus calcarato-appendicula-
tum. Stylus induratus teres vel canaliculatus, superne sensim
plus minusve attenuatus (nec unquam inferne tenuior). Stigma

capitatum hispidulum. Legumen compressum lineare falcatum vel rectiusculum, 2-polyspermum, intus isthmis fungosis interseptum. Semina compressiuscula ovato-subreniformia, caruncula tenui. — Herbae, ad basin rarius suffruticosae, volubiles vel procumbentes. Folia trifoliata, rarissime quinquefoliata, foliolis stipellatis, impari petiolulato. Racemi rariusve pedunculi uniflori axillares.

Character generis ita contractus in *D. lignosum* Linn., qui generis typus est, speciesque sequentes Africanas exacte quadrat; nec dubito, quin plurimae species sectionis primae Candolleanae (exclusis fortasse *Macrostylomatibus* Wight et Arnot. prodr. fl. ind. I pag. 248) huc pertineant. Divisio sequens per paragraphos paulo magis artificialis videtur.

§. 1. *Stylo canaliculato glabro.*

* 1. *SERICEUS*: caule volubili retrorsum sericeo-hirsuto, foliolis subrhomboideo-ovatis, lateralibus margine superiore minutis utrinque sericeo-pubescentibus, racemis 2—4-floris, pedunculo folium subaequante, calycis lacinia impari lateralibus triplo longiore et angustiore, leguminibus subfalcatis glabris polyspermis.

Omsamwubo, alt. 500 ped. (V, b).

§. 2. *Stylo canaliculato superne ad longitudinem barbato.*

2. *GIBBOSUS THUNB.*: glaber, caule volubili, foliolis ovatis acuminatis utrinque, lateralibus superiore margine minus gibbosis, racemis folio longioribus paucifloris, pedunculis rigidis curvatis, calycis laciniis brevissimis ciliatis, leguminibus rectiusculis 4—6-spermis, seminibus nigricantibus. — Cand. prodr. II pag. 400.

Paarlberg, alt. 1000—2000 ped. (III, A, e).

Foliola lateralia a Thunbergio non brevissima, sed brevissime petiolulata dicuntur, quocirca diagnosis apud cl. Candollium corrigenda est. Huic *D. lignosus* Linn. proximus est.

*3. **SMILACINUS**: caule filiformi volubili glabriusculo, foliolis subtrilobo-hastatis glabris nitidis, lobo medio lanceolato acuto, lateralibus brevissimis obtusis, racemis 4—6-floris folio parum longioribus, pedicellis calyce triplo longioribus, calycis laciniis brevissimis ciliatis.

Outniquabergen, prope Roodemuur, in collibus graminosis saxosis, alt. 1500—2000 ped. (IV, A).

4. **HASTAEFORMIS**: caule filiformi procumbente hispidulo, foliolis infimis ovatis, summis linearibus, intermediis subtrilobo-hastatis, lobo medio protracto obtusiusculo, margine ciliatis, racemis subquadrifloris longe pedunculatis, pedicellis calyce parum longioribus, calycis laciniis brevissimis ciliatis, leguminibus rectiusculis glabris 2—3-spermis.

a) Kookhuis ad Vischrivier, alt. 1800 ped., et b) Modderfontein ad Brakrivier, alt. 2500 ped. (V, a).

Differt ab antecedente, praeter notas indicatas, floribus duplo minoribus, petalis omnibus apice magis caeruleis; praecedentis enim carina tantum apice parum caerulescit. Cf. etiam *D. hastatus* Lourr.

5. **ANGUSTISSIMUS**: glaberrimus, caule ad basin fruticuloso flexuoso-erectiusculo superne filiformi volubili, foliolis elongato-linearibus complicatis apice recurvatis, impari brevissime petiolulato, racemis 2—4-floris petiolum vix superantibus; calycis laciniis brevissimis, leguminibus falcatis basin versus subattenuatis 6—8-spermis, seminibus badiis.

In saxosis graminosis montium a) inter Klipplaatrivier et Zwartkey, b) Stormberg et c) Mooyplaats, ubique inter 4000 et 5500 ped. (I, a).

Foliola bipollicaria, ni longiora, vix 2 lineas lata, impar plerumque brevissime, nonnunquam vix et ne vix quidem petiolulatum. Flores minores, fere praecedentis. Habitus duorum sequentium, quorum vero stylus teretiusculus e. s. p.

§. 3. **Stylo teretiusculo circumcirca hirsuto.**

6. **LINEARIS**: glaber, caule ad basin fruticuloso, superne filiformi volubili, foliolis elongato-linearibus planis nitidis, pe-

dunculis 1—3-floris petiolum aequantibus, calycis laciniis dimidio tubo longioribus, lateralibus subtriangulari-ovatis, leguminibus falcatis basin versus subattenuatis 4—6-spermis, seminibus badiis nigro-variegatis.

a) Zwartkopsrivier, infra 100 ped. alt. (IV, C, c); *b)* Glenfilling, in valle ad rivulum, alt. 500—800 ped. (V, a); *c)* Klipplaatrivier ad ripas, alt. 3400 ped. et *d)* Stormberg, alt. 4500 ped. (I, a).

Foliola fere antecedentis, sed complanata nitida, et impar semper longius petiolulatum.

7. PENTAPHYLLUS: glaber, caule ad basin fruticuloso, superne filiformi volubili, foliolis angustissime linearibus, lateralibus utrinque binis conjugatis, intermedio solo petiolulato, pedunculis 1—3-floris petiolum aequantibus, calycis laciniis dimidio tubo longioribus, lateralibus subtriangulari-ovatis, leguminibus falcatis basin versus subattenuatis tetraspermis, seminibus badiis nigro-maculatis.

Inter Klipplaatrivier et Zwartkey, alt. 3500—4000 ped. (I, a).

Antecedentis monstrum putarem nisi nimia utriusque copia adesset, pluresque differentiae advenirent. Foliola neutiquam nitida, minora, 1—1½ pollicaria, latitudine vix lineari. Flores paulo majores. Quidquid sit, forma memoratu digna est.

8. DECUMBENS THUNB.: caule procumbente filiformi puberulo, foliolis ovatis glabris, racemis folio duplo longioribus apice subsexfloris, calycis laciniis brevissimis subciliatis, leguminibus rectiusculis subdispermis.

In collibus argillaceis *a)* prope Blaauwberg et *b)* prope Piquetberg, alt. 300—800 ped. (III, D, a).

Radix maxima lignosa irregulariter napiformis vel fusiformis pedalis et ultra multicaulis. Foliola circiter 4 lineas longa, intermedium fere aequale latum, lateralia parum obliqua et angustiora. Pedunculi circiter pollicares. Flores parvi revera racemosi nec, ut Thunbergius ait, umbellati, sed ita approximati, ut umbellam simulent.

9. **AXILLARIS**: caule inferne suffruticoso volubili, foliolis subelliptico-ovatis, pedunculis 1—3-floris petiolo brevioribus, calycis laciniis breve acuminatis, leguminibus basi subreflexis tum rectiusculis 6—8-spermis.

a. pubescens: caule foliis calycibus fructibusque molliter pubescentibus.

β. glaber: omnibus partibus glabriusculis.

Var *a. a)* inter Omtendo et Omsamculo et *b)* Port Natal, alt. 100—400 ped. (V, c).

Var. *β.* inter Fakoskraal et Omsamwubo, in valle umbrosa, alt. 800 ped. (V, b).

Foliola circiter pollicem longa et 7—8 lineas lata. Flores majusculi lutei, carina minus incurvata. Stylus solito paulo longior et tenuior.

§. 4. Stylo tereti glabro.

10. **FALCIFORMIS**: caule subfiliformi volubili foliisque breve petiolatis tenuissime hirsutis, foliolis lateralibus oblique ovatis, impari subrhomboideo-ovato, angulis omnibus rotundatis, racemis longe pedunculatis confertim paucifloris, calycis laciniis brevissime acuminatis pubescentibus, leguminibus subacinaciformi-falcatis obtusis glabris hexaspermis.

Inter Omtendo et Omsamculo, in graminosis, infra 200 ped. alt. (V, c).

Foliolum intermedium pollicem fere longum latumque, lateralia paulo minora et altero latere diminuta. Flores parvi caerulei. Legumen circiter sesqui-pollicare, superne 5 lineas latum.

SCYTALIS.

Dolichi sectt. II et III Cand.

Calyx bibracteolatus, bracteis caducis, campanulatus, limbo bilabiato, laciniis labii superioris plus minusve connatis, inferioris intermedia paulo longiore. Vexillum ad basin callo epipetalo semilunari furcatove processibusque binis deorsum versis subgibbosis auctum. Alae ad basin hinc hamatae. Carina dorso angulo rectiusculo inflexa subrostrata. Stamina diadelpha, deci-

num basi subgeniculatum exappendiculatum. Stylus induratus canaliculatus ad longitudinem barbatus. Stigma oblongum. Legumen teres vel compressiusculum rectum vel subfalcatum polyspermum torulosum, intus isthmis fungosis interseptum. Semina ovato-subreniformia, caruncula tenui.

Genus hercle naturale. A Dolicho differt pedunculis omnium specierum validioribus, floribus majoribus albis rubris caeruleisve, nec unquam, quod scio, luteis, bracteolis fugacibus, calycis laciniis rarissime tam latis brevibusque quam illius, vexillo, praeter callum epipetalum, appendicibus binis subcallosis instructo, carina dorso minus arcuata, stamine libero ad basin non appendiculato, et praecipue legumine semper longiore, nonnunquam longissimo, tereti vel saltem teretiusculo, stricto rariusve leviter incurvato, toruloso magisque polyspermo. — Nomen a *σκυτάλη*, baculum, unde Gaertnerus Scytaliam suam, Euphoriae synonymam, nominaverat, solennem leguminis formam spectat. Catjang enim nomen nimis barbarum videtur.

Sectio I. CATJANG.

Catjang et Unguicularia Cand.

Flores 1—3 in apice pedunculi subsessiles. Legumina stricta (apice saepe inflexo).

Sectiones Catjang et Unguiculariae omnino confluent. Ipsius Scytalis Catjang legumen apicem haud raro inflexum offert, et ni fallor a Scytale Sinensi, quae testibus Wight et Arnot Unguicularia esset, non aliter discrepat, quam Phaseolus nanus Linn. a vulgari Linn.

* 1. CATJANG.

Dolichus Catjang Linn. — *Cand.* prodr. II pag. 399.

Per omnem fere coloniam coli solet.

* 2. TENUIS: glabra, caule filiformi volubili, foliolis ovatis oblongisve obtusis lateralibus extus, intermedio utrinque gibbosis, pedunculis subbifloris, calycis laciniis ex ovata basi protractis, leguminibus teretibus strictis retrorsum scabris ad suturam subserratis.

* *a. ovata*: foliolis ovatis, leguminibus obsolete serratis.

* *β. oblonga*: foliolis oblongis, leguminibus evidenter serratis.

Var. *α.* in graminosis inter Omsamculo et Port Natal, alt. 500 ped. (V, c).

Var. *β.* in graminosis inter Omtendo et Omsamculo, alt. 300 ped. (V, c).

Cf. *Dolichus Sinensis* Linn. apud Wight et Arnot, prodr. ind. orient. I pag. 250, qui ex icone Jacquini et specimine culto a nostra planta parum differre videtur, foliolis paulo majoribus apice minime rotundatis leguminibusque glabris ad suturas integerrimis. — Apex rectiusculus vel parum incurvatus.

* 3. *HISPIDA*: caule volubili retrorsum hispido, foliolis late ovatis apice rotundatis ciliatis et utrinque parce pilosis, pedunculis longissimis sulcatis bifloris, calycis laciniis lanceolato-acuminatis tubum aequantibus, leguminibus rectis teretibus hispidulis.

In collibus graminosis prope Omtata, alt. 1500 ped. (V, b).

4. *PROTRACTA*: caule procumbente foliisque hispidis, foliolis trilobis, lobis apice rotundatis, intermedio protracto, superiori foliolorum lateralium brevissimo, pedunculis longissimis bifloris, calycis laciniis subfalcato-lanceolatis, leguminibus rectis teretibus hispidis.

In graminosis *a)* prope Galgebosch, alt. 800 ped. (IV, C, c), *b)* inter Gekau et Basche, alt. 1500 ped. (V, b).

A *Dolicho trilobo* Thunb., mihi nonnisi ex descriptione noto, hispiditate, a *D. trilobo* Linn. seu *Phascolo trilobo* Ait. generis characteribus satis differt. Nec *D. trilobum* Houtt. seu *lobatum* Willd. hujus generis esse puto.

Sectio II. HELICOPUS.

Flores numerosi racemosi (rachi inter flores plus minusve tortili). Legumina leviter incurvata.

5. *HELICOPUS*: pubescens, caule volubili, foliolis ovatis, racemis longissime pedunculatis multifloris, rachi tortili, calycis laciniis ovatis tubo parum brevioribus, leguminibus compressiusculis subfalcatis.

* *α. major*: foliolis late ovatis, lateralibus valde obliquis.

β. minor: foliolis lanceolato-ovatis, lateralibus subaequalibus.

Var. *α.* inter Omsamculo et Omcomas, in fruticeto ad ostia fluvii cujusdam minoris (V, c).

Var. *β.* inter Omtendo et Omsamculo in fruticetis humidis, infra 200 ped. alt. (V, c).

6. **RETUSA**: caule erectiusculo glabro, foliolis subrotundis retusis, novellis sericeo-pubescentibus, adultis glabris, racemis folio subaequalibus multifloris, rachi demum subtortili, calycis laciniis ovatis dimidio tubo brevioribus, leguminibus maxime torulosis rectiusculis pendulis.

Dolichos retusus mihi in Drèg. sem. catal.

In collibus arenosis litoralibus inter Omtendo et Omcomas (V, c).

STROPHOSTYLES Elliot.

Phaseoli sect. III. Cand.

Genus ita fere a Phaseolo, quam Scytalis a Dolicho differens, et, ni fallor, Scytali propinquior quam Phaseolo.

1. **CAPENSIS**: caule repente hispidulo, foliolis ovatis lanceolatisve, pedunculis folio longioribus 1—2-floris, calycis laciniis lanceolatis tubum aequantibus, leguminibus erectis rectis hispidis ad suturas subserrulatis, apice subincurvato.

Phaseolus Capensis Thunb. — Cand. prodr. II pag. 396.

α. ovatus; foliolis ovatis, inferioribus obtusis, superioribus acutis.

β. lanceolata: foliolis plerisque lanceolatis.

γ. longifolia; foliolis elongatis lanceolato-linearibus.

Semper in graminosis; var. *α. a)* prope Galgebosch, alt. 800 ped. (IV, C, c), *b)* inter Gekau et Basche, alt. 1500—2000 ped. (V, b), *c)* ad ostia fluvii Omsamcaba (V, c).

Var. *β.* inter Omtendo et Omsamculo, infra 100 ped. alt. (V, c).

Var. *γ. a)* Zwartkopsrivier, infra 100 ped. alt. (IV, C, c), *b)* Ado, alt. 1500 ped. (V, a), *c)* inter Gekau et Basche, alt. 1500 ped. (V, b).

Var. α et γ inter se dissimillimae, sed per var. β cohaerent adeo, ut aegrius fines ponantur. Tota planta etiam simillima *Scytali tenui*, fere aequae variabili; distinguitur, praeter generis characterem, imprimis calycis laciniis multo longioribus.

SPHENOSTYLIS.

Calyx ebracteolatus campanulatus, limbo brevi quinquefido, laciniis quatuor subaequalibus latissimis rotundatis, quinta paulo longiore ovata. Petala et Stamina omnino *Scytalidis*. Stylus inferne canaliculatus, superne complanatus et cuneiformi-dilatatus glaber. Stigma cristatum hispidulum. Legumen rectiusculum compressum lineare utrinque angustatum coriaceum polyspermum, isthmis fungosis interseptum. Semina oblonga compressiuscula subquadrata transversa, linea alba per ventrem excurrente. — Herba volubilis, ad basin suffruticosa. Folia trifoliata, intermedium petiolatum, foliolis stipellatis ovato-oblongis inter se aequalibus submarginatis puberulis. Racemi longissime petiolati stricti pauciflori. — Nomen ex singulari styli diu persistentis forma. Affinitas proxima cum *Scytalidis* sectione altera.

I. MARGINATA.

In graminosis ad ostia fluvii Omsamculo (V, c).

CANAVALIA Cand.

Generis character apud cl. Candolium ita amplificandus, ut sectionem nostram alteram non excludat.

Sectio I. MALOCHIA.

Calycis labio inferiori tridentato.

I. EMARGINATA: procumbens, foliolis subrotundo-ovatis emarginatis, leguminibus latitudine sextuplo longioribus subfalcatis.

C. obtusifolia β . *emarginata* Cand. prodr. II pag. 404.

Dolichus emarginatus Jacq. schoenbr. II tab. 221.

In arena litorali inter Omtendo et Omsamculo (V, c).

Caulis longissimus inter gramina procumbens. Non mirum tamen, quod in olla cultus plus minusve volubilis factus sit, ut

Jacquinus testatur. Legumen semipedale et ultra 6—12-spermum, pollicem latum. Semina, ut in genere, transversa.

Sectio II. MONODON.

Calycis labium inferius unidentatum.

2. MONODON: caule volubili suffruticoso, foliolis ovato-oblongis obtuse apiculatis, calycis labio inferiori unidentato.

In rupestribus fructectosis ad ostia fluvii Omtendo (V, c).

Habitus C. ensiformis; sed calycis forma, ni fallor, ab omnibus speciebus hucusque notis diversus. Lobi labii calycini inferioris maximi, tubo duplo longiores. Legumen junius subfalcatum parce pilosiusculum 8—10-spermum.

CHLORYLLIS.

Calyx ebracteolatus bilabiatus, labio superiori latissimo rotundato integro, inferiori trifido, laciniis ovatis. Vexillum erectum oblongum carina paulo brevius, ad basin macula lata appendicibusque brevibus subcallosis. Alae vexillo breviores exappendiculatae. Carina erecta dorso leviter incurvata biceps. Stamina diadelpa leviter incurvata, decimum basi neque articulatum neque appendiculatum. Germen lineare ad margines pubescens, sexovulatum. Stylus basi canaliculatus, superne attenuatus teretiussculus pilosus. Stigma capitellatum. Legumen ignotum. — Caulis herbaceus procumbens. Folia trifoliata. Foliola stipellata subtrilobato-angulata, intermedium petiolulatum. Racemi in ramulis ascendentibus terminales vix pedunculati pyramidati. Flores speciosi vexillo subcoriaceo viridi, carina flavo-virente, alis subviolaceis. An genus Mucunae affine? — Nomen a *χλωρός*, viridis.

* I. PRATENSIS.

Gekau in graminosis, alt. 600—1000 ped. (V, b).

ERYTHRINA Linn.

* I. CAFFRA THUNB.: caule arboreo aculeato, petiolis inermibus, foliolis late ovatis obtuse acuminatis glabris laevibus, racemis brevibus subsessilibus, calyce demum amplissimo tenuissime

tomentoso, dentibus labiorum obsoletis, vexillo obovato-oblongo obtuso, extus tenuissime velutino, staminibus monadelphis, vagina superne fissa. — Thunb. fl. cap. pag. 559.

Sponte crescit in praeruptis humidis circa ostia fluviorum omnium inter Omsamcaba et Omsamculo (V, c). Eandem observavit Drège in horto Henrici Kretzinger aliorumque. Nec non Ecklon in horto urbis publico arbores vidit 50—60 pedes altas, ante centum et triginta annos plantatas, de quibus easdem esse, quas ex eodem horto quondam Thunbergius descripserat, vix dubitares.

Aculei toti purpureo-nigricantes. Foliola fere sequentis, sed brevius acuminata tenuiora nitorisque expertia. Calyx ante anthesin breve bilabiatus labio altero bi- altero tridentato, dentibus obsoletis. Sub anthesi vero limbus maxime augetur et amplificatur, demumque spathae ad modum irregulariter findi solet. Vexillum medio pollicem latum, abhinc superne parum, basin versus valde attenuatum, dorso sordide velutinum, facie rubens. Stamina ad medium connata, alterna paulo breviora. Legumen moniforme circiter 6-articulatum, sed nihilominus perfecte bivalve. Semina cavernis, quibus continentur, multo minora ovata 4 lineas longa, hilo ovato nigricante, testa miniata. Arillata esse suspicor; nam in quavis leguminis caverna membranam dilaceratam invenio, placentae adhaerentem.

2. HUMEI: caule subarborescente petiolis foliolisque subtus aculeatis, foliolis late ovatis obtuse acuminatis glabris lucidis subcoriaceis, racemis pyramidatis longe pedunculatis, calyce tubuloso subbilabiato-quinquedentato puberulo, vexillo oblongo-spathulato apice subtruncato glabro, staminibus diadelphis.

E. Caffra Ker. in bot. reg. tab. 736 A et B; Sims. bot. magaz. tab. 2431; Cand. prodr. II pag. 412 (excl. ubique Thunb. synonym.).

Semper solitarie crescit in collibus graminosis a) inter Kovi et Kaprivier (V, a), b) inter Keiskamma et Basche (V, b), alt. 800—2000 ped.

Aculei sordide albentes apice subnigricantes pedunculi atropurpurei subaculeati velutini, demum glabrati. Calyx immutatus

persistit. Vexillum sub apice 10—11 lineas latum, abhinc basin versus sensim sensimque attenuatum, ad faucem calycis adhuc semipollicaris latitudinis. Stamina absque ordine definito inaequalia.

3. **ACANTHOCARPA**: caule fruticoso petiolis foliolisque subtus ad costam aculeatis, foliolis transverse ellipticis brevissime apiculatis glabris glaucescentibus, racemis subradicalibus, calycibus campanulatis subtruncatis brevissime et remote quinquedentatis pubescentibus, vexillo oblongo obtuso subretuso extus tenuissime velutino decoloro, staminibus ima basi monadelphis, novenis ad partem tertiam connatis, intermediis ternis paulo brevioribus, leguminibus longe clavatis aculeatis.

In vallibus inter Klipplaatrivier et Zwartkey, alt. 3000—4000 ped. (I, a), virgulta constituens diametro saepe orgyali, infesta viatoribus, unde stirps hisce regionibus dici solet *Wart een beetjen* i. e. *expecta paulisper*, quo nomine alibi vel *Capparides* vel *Acaciae variae* salutantur. Seminibus magnis, saepe 9 lineas longis, ovatis, pulcherrime rubentibus, *Hottentotti margaritarum* ad instar ad collum ornandum utuntur.

Frutex semi- vel bipedalis magnitudinis, radice, ut videtur repente. Aculei magni uncinati flavescentes. Foliolum intermedium saepe 15 lineas latum 9 longum, lateralia longitudine latitudinem subaequantia. Racemi ex imo caule vel ex radice proveniunt, nunc brevissimi nunc fere semipedales, rachi sordide albente subaculeata. Flores, exceptis iis, quae indicavimus, fere antecedentis; sed vexillum basi vix quicquam attenuatum, per totam fere longitudinem circiter 9 lineas latum, extus subdecolorum, intus pallide rubens. Stamen decimum ima basi evidenter utrinque adnatum. Leguminis junioris aculei minimi, tomento absconditi, maturi frequentissimi flavescentes.

§. Species minus cognita.

*4. **LATISSIMA**: caule arboreo arachnoideo-tomentoso petiolisque aculeatis, aculeis basi tomentosus, foliolis maximis coriaceis supra rugulosis demum subglabratis nitidulis, subtus reti-

culato-venosis subtomentosis, — intermedio transversim elliptico, lateralibus oblique subrotundo-ovatis.

Passim inter Basche et Omtata, frequentius inter Omgaziana et Omsamwubo, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

Arbor 20-pedalis insignis cortice toto, exceptis aculeorum apicibus, arachnoideo sordide albente. Petiolus ad basin penam anserinam crassus. Foliola lateralia semipollicaria, diametro oblique transverso 7 pollices lata, impar, petiolulo tripollicari, pollices 7 longum, $8\frac{1}{2}$ latum. Flores fructusque desunt. Habitus omnino hujus generis.

Tribus VI. **DALBERGIEAE** Cand.

DALBERGIA Linn. fil.

1. **OBOVATA**: foliis trijugis, foliolis obovato-oblongis acutiusculis glabris, petiolis paniculisque terminalibus axillaribusque velutinis, leguminibus utrinque acutis ferrugineo pubescentibus.

a) Ad ripas fluvii Basche (V, b) et b) prope Port Natal (V, c), infra 500 ped. alt.

Valde similis *D. rubiginosae* Roxb. corom. II tab. 115, sed foliola supra medium paulo latiora acutiora. Flores non vidi. Legumina 1—2-rarissime 3-sperma, ad semina valde rugosa. Summitates pro more generis saepe subvolubiles.

2. **ARMATA**: ramis spinosis, foliis 6—12-jugis, foliolis oblongis utrinque obtusis glabris subtus discoloribus, petiolis paniculisque subterminalibus velutinis, leguminibus obtusis inferne attenuatis.

a) Inter Omtendo et Omsamculo, b) in sylvis prope Port Natal, (V, c), infra 100 ped. alt.

Spinae inferne solitariae validae haud raro folio uno alterove imperfecto vestitae, superne saepe binae ad ramulorum latera graciliores, ut, nisi inferiores defenderent, pro stipulis commutatis habere posses. Foliola 3—4 lineas longa, $1\frac{1}{2}$ —2 lata, media infimis summisque paulo majora. Legumina basi acuta, apice obtusa, ad semina parum rugosa.

3. **MULTIJUGA**: foliis 10 — 16-jugis, foliolis oblongis utrinque obtusis mucronulatis pubescentibus, racemis brevibus terminalibus et axillaribus in apice ramulorum congestis, leguminibus utrinque acutis venoso-reticulatis ferrugineo-pubescentibus.

Morley, ad marginem sylvae, alt. 1000 — 1500 ped.

(V, b).

Foliola minus linearia quam antecedentis, 3 — 6 lineas longa, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ lata. Legumina majora, medio haud raro 9 lineas lata.

Papilionaceis addenda.

Pag. 3.

CYCLOPIA #2 (b) **LARICINA**: glabra, foliolis teretiusculis, bracteis obovatis subtruncatis, calycis dentibus obtusiusculis.

Outniqualand? (IV, C, b).

Foliola longiora et tenuiora quam *C. genistoidis*. Bractearum forma prorsus singularis.

Pag. 21.

INGENHOUSSIA 1 (a) **ROSEA**: ramis alternis divergentibus, foliis ovato-lanceolatis convolutis villosis patentibus, floribus axillaribus subverticillatim glomeratis.

In montosis rupestribus humidiusculis a) Dutoitskloof, alt. 2500 ped., b) Winterhoeksberg, alt. 1000 ped. (III, A, e): c) Van Staadesberg alt. 1500 ped. (IV, A).

Ante *J. violaceam* inseratur, cui haud absimilis est, sed robustior. Ramuli frequentiores. Folia novella helvola, adultiora sordide incano-virentia, in pagina superiore, quae raro in conspectum venit, pilis magis appressis albentibus tecta. Flores eleganter rosei. Legumen ovatum subacuminatum villosum calyce demum saepius rupto vix duplo longius.

Pag. 22. (post *Ingenhoussiam*).

HEUDUSA.

Calyx profunde quinquefidus lanatus, laciniis subaequalibus oblongis erectis. Carina brevissima galeata. Alae ad basin auctae

processu oblique transverso semiorbiculari carinae plicis amplexo; superne lineares obtusae, vexillumque anguste oblongum complicatum brevissime exsertae, corollam tetrapetalam mentientes. Stamina carina inclusa diadelpha. Germen ovatum turgidum pauciovulatum. — Stylus teres glaber.

Frutex erectus virgatus gracilis, ramis subumbellatis. Folia lineari - lanceolata subsericeo - canescentia. Flores saepius 3—4 sessiles in capitulum terminale foliis longioribus involucreto collecti, rarius alii sub capitulo axillares solitarii. Vexillum alaeque, quousque ex calyce emergunt, rubentes, inferne cum carina decolorae. Thymelaeam refert; inter Papilionaceas nulli similior quam *Ingenhoussiae ericoidi*. *Ευδοῦσαν*, dormientem, dixi, propter flores intra calycem lanatum, tanquam in lecto, reconditos.

I. DECIPIENS.

Zwartebergen prope Klaarstroom (II, e).

Pag. 28.

CROTALARIAE 18 OXYPTERAE addatur:

Connarus decumbens? Thunb. in Roem. arch. I pag 1 tab. 1.

Amphinomia decumbens? Cand. prodr. II pag. 522.

Petala quidem a Thunbergio longe aliter describuntur, quam in nostra planta invenio; cui flos perfecte papilionaceus, carina fere rectangula longe rostrata. Sed praeterea icon satis convenit. Num forsitan Thunbergius petala male conservata adhuc pejus descripsit?

Huic ad calcem addatur:

CROTALARIA 19 TRICHOPODA: foliis trifoliatis, foliolis elliptico - obovatis glaucescentibus praesertim subtus tenuissime pubescentibus, umbellis oppositifoliis longe pedunculatis multifloris, pedunculis setaceis, calycis quinquefidi laciniis lanceolatis, leguminibus compressiusculis subsessilibus lanceolato - linearibus calyce triplo longioribus.

α. pedunculis folio multoties longioribus atropurpureis.

β. *brachypoda*: pedunculis folio circiter duplo longioribus canescentibus.

In graminosis *a*) inter Zondagrivier et Kuga alt. 800 ped. (IV, C, c); *b*) Ado, alt. 1500 ped. (V, a).

Var. β . in collibus calcariis ad Van Staadesrivier, alt. 800 ped. (IV, C, c).

Crotalarias paragrapho tertia et quarta propositas nec inter se, nec cum reliquis speciebus satis convenire confiteor. Frustra tamen plura inde genera condere tentavi. *C. trichopoda* Lotum simulat, et a congenerum plerisque longe aberrat petalis calyce fere longius unguiculatis leguminibusque compressiusculis subsessilibus. Legumen simile praebent *C. diversifolia* et, si breviter negligere licet, *C. lenticula*; sed illius calyx petala subaequat, et utriusque flores solitarii, nec umbellati sunt. Habitu, inflorescentia, petalisque longe unguiculatis nostra adhuc magis convenit cum *C. micrantha*, cujus autem legumen subglobosum est. Sic etiam *C. sparsiflora* quinata et oxyp-
tera inter se magis convenire videntur quam cum reliquis, quo tamen vinculo cohaereant, nescio. Quare invitus ordinem artificialem secutus sum.

Pag. 35.

LEBECKIA 7^(b) **MICROPHYLLA**: sericeo-canescens, foliolis angustissimis obovatis convoluto-teretiusculis, calycibus campanulatis breve quinquedentatis demum costatis, vexillo ad apicem parce pubescente vel glabriusculo.

* β . *leptophylla*: tenuior, ramis flexuosis subfiliformibus, foliolis convoluto-subsetaceis.

In montosis saxosis *a*) Camdeboosberg, alt. 4000—4500 ped. (II, b); *b*) Klein Bruintjeshoogte, alt. 2600—3000 ped. (V, a).

Var. β . locis similibus *a*) prope Graafreynet, alt. 3000 ped. (II, b); *b*) Los Tafelberg, alt. 5000—6000 ped. (I, a).

Fruticulus palmaris rigidulus. Foliola lineam, in β duas lineas longa, petiolum parum superantia. Flores caerulescentes. Legumen 4 lineas longum turgidulum hirsutum. In suo genere proxima *L. armatae*, sed inermis est, foliolisque convolutis nec

planis, petiolum fere superantibus nec eo duplo brevioribus facile distinguitur. Cautius distinguenda est a *Telina capnitide*, quae tamen minor et depressa est, nec erecta, cujusque calyx inaequaliter trifidus, laciniis lateralibus semibifidis, et legumen compressum nec teres est. Cautissime denique ab *Aulacintho rigido* paulo inferius describendo.

Pag. 37. (ante *Aspalathum*).

COLOBOTUS.

Calyx campanulatus, limbo brevissime bilabiato, labio inferiori bidentato, superiori obsolete tridentato. Reliqua *Aspalathi*, sed legumen ignotum. — **Fruticulus** *Aspalathi* habitu, incomptus. **Folia** trifoliata, stipulis hic cum petiolo brevissimo, ibi inter se in ochream bidentatam connatis, dentibus sibi proximis folio oppositis. **Foliola** convoluta - teretiuscula canescentia. **Pedunculi** terminales breves 1—2-flori. **Flores** parvi. **Petala** extus sericea. **Carina** fornicata. — **Nomen** a $\kappa\omicron\lambda\omicron\beta\omicron\varsigma$, obtusus vel abbreviatus, ad calycis labia brevissima alludens.

* I. OCHREATUS.

In collinis ad Blaauwberg, alt. 400 ped. (III, D, a)

Pag. 67. (ante *Telinam*).

AULACINTHUS.

Calyx petala et stamina *Telinae*. **Legumen** rectum; turgidum polyspermum, sutura dorsali intrusa. — **Fruticuli** *Lebeckiae* et *Telinarum* quarundam facie, caractere artificiali ad *Astragalum* accedentes. **Folia** trifoliata sericeo-canescencia, foliolis linearibus. **Racemi** terminales. **Flores** lutei. **Staminum** vagina ad maturitatem usque persistens. — **Nomen** a verbo $\alpha\upsilon\lambda\alpha\varsigma$, rima, ad modum *Hyacinthi* aliorumque derivatum.

I. **GRACILIS**: ramis erectis tenuibus, foliolis petiolo brevioribus, racemis elongatis, calycibus leguminibusque appresse sericeis.

In montosis saxosis a) Roodeberg, alt. 2500—3000 ped.
et b) Ezelkop, alt. 4000 ped. (III, A, a).

2. RIGIDUS: ramis flexuosis rigidis, foliolis petiolo longioribus, racemis abbreviatis, calycibus leguminibusque patentim hirsutis.

a) Zwartland (III, D, a), *b)* Mordkuil (IV, B, b), utroque loco inter 500 et 800 ped. alt.

Lebeckiae microphyllae var. *α.* simillima, ita ut absque calyce atque legumine aegre distingueretur. *Telina capnitis* multo minor atque depressa est, fructumque compressum habet. Ceterum et haec illi valde similis.

Pag. 127. (ante *Bujaciam*).

VOANDZEIA Pet. Thouars.

Characteri apud cl. Candollium addatur: Legumen oblongum turgidum fragile, suturis obsoletis, endocarpio spongioso candido. Semen ovatum ventre affixum, sessile, hilo oblongo. Cotyledones crassae carnosae, radiculae brevi accumbentes. — Certe igitur ad *Phaseoleas* pertinet.

1. SUBTERRANEA PET. TH. — Cand. prodr. II pag. 474.

Culta in hortis Caffrorum prope Port Natal.

CAESALPINIEAE Rob. Brown.

Leguminosarum tribus X Cand.

GUILANDINA Linn.* 1. **BONDUC LINN.** — Cand. prodr. II pag. 480.

Hand procul ab ostiis fluvii Omsamcaba (V, c).

CHAMAECRISTA Moench.

Cassiae sectio VII et VIII Cand.

Calyx quinquepartitus, laciniis acutis, aestivatione circumcirca (nec incumbenti-) imbricatis. Petala subaequalia. Stamina decem inaequalia, antheris per rimam villosam utrinque decurrentem apice dehiscentibus, 1—3—5 saepe imperfectis. Legumen sessile compressum lineare loculosum bivalve. Semina oblonga transversa. — Cf. quae de hoc genere restituendo in nov. act. acad. nat. curios. vol. XII pag. 805 protuli. Quo loco calycis aestivationem verbo minus idoneo valvatam dixi, quoniam lacinia altera alteri non incumbit, ut in Cassia, etsi margo marginem de latere tegat.

1. **CAPENSIS THUNB.** caule ascendente pubescente vel hirsuto, foliis 6—18-jugis, foliolis linearibus puberulis oblique mucronatis, inferioribus rectiusculis, superioribus sensim duplo minoribus subfalcatis, glandula minima sessili sub jugo infimo, stipulis subovato-lanceolatis acuminato-subulatis, pedunculis solitariis geminisve folio longioribus, paulo infra florem bibracteatis, calycis laciniis ovato-oblongis petalis parum brevioribus, staminibus omnibus fertilibus, leguminibus pubescentibus 10—14-spermis, seminibus subquadratis.

a. caule sordide pubescente, foliis minoribus.

* $\beta?$ *flavesccns*: caule robustiore patentim hirsuto, hirsutiae ramulorum flava, foliis majoribus, glandula petiolari saepe obsoleta.

In graminosis *a*) inter Algoabaai et Van Staadesrivier, infra 800 ped. alt. (IV, C, c); *b*) Glenfilling, alt. 800 ped. (V, a).

Var. β . inter Gekau et Basche, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

Folia formae vulgaris 9—15 lineas, foliola inferiora 2—4 lineas longa; varietatis β . folia saepe bipollicaria, foliolis 4—5 lineas longis. An species diversae? At nullam gravioris momenti differentiam inveni.

2. **PLUMOSA:** caule gracili pubescente erecto vel diffuso, foliis 20—35-jugis, foliolis linearibus puberulis vel glabriusculis muticis, superioribus vix decreescentibus, glandula minima sessili sub jugo infimo, stipulis lanceolatis acuminato-subulatis, pedunculis solitariis geminisve folium aequantibus, paulo infra florem bibracteolatis, calycis laciniis oblongo-ovatis petala subaequantibus staminibus omnibus fertilibus, leguminibus subglabratis 12—16 spermis.

a. caule stricto, ramis subfastigiatis, foliis puberulis.

* *β . diffusa:* caule ramisque diffusis, foliis minoribus glabriusculis.

In graminosis inter Basche et Omtata, alt. 1500 ped. (V, b).

Var. β . in collibus graminosis prope Omsamculo, infra 100 ped. alt. (V, c).

Antecedenti valde propinqua, diversa foliolis plurimis vix decreescentibus, pedunculis folia non superantibus, floribus minoribus, leguminibus demum glabratis. Nihilominus varietas esse posset. Folia 15—21 lineas, foliola 2—3 lineas longa. In varietate β . folia 9—12, foliola vix ultra singulam lineam longa.

3. **STRICTA:** caule stricto simpliciusculo pubescente, foliis 30—40-jugis, foliolis linearibus dimidiato-obtusatis mucronatis glabriusculis apice subserrulato-ciliolatis, glandula elliptica sessili sub jugo infimo, rachi supra subalata, stipulis basi ovatis subsemicordatis longe acuminato-subulatis, pedunculis 1—3 supra-axillaribus inaequalibus, longiore florem vix duplo superante, ca-

lycis laciniis lanceolatis petala aequantibus, staminibus saepius 9, alternis multo minoribus, leguminibus pubescentibus 20—25-spermis, seminibus latitudine fere duplo longioribus.

Ad ripas arenosas fluvii Basche, alt. 500 ped. (V, b).

Chamaecristae seu Cassiae auctt. plurimae foliis multijugis, glandula petiolari sessili, floribusque fasciculatis supraaxillaribus, imprimis *mimosoides* Linn. non Cand. (de qua conferatur Wight. et Arnot. prodr. fl. ind. orient. I pag. 292, in observatione ad angustissimam), *Wallichiana* Cand., *angustissima* Lam. in India Orientali, *microphylla* Willd. in India Occidentali Guinea et Senegambia, et stricta nostra in Caffria, omnes maxime affines et, ni fallor, vix specie diversae sunt. Reunionem tamen iis relinquendam putavi, quibus specimina authentica vidisse contigerit.

*4. **COMOSA**: caule erecto flexuoso glabro inferne tereti superne sulcato-anguloso, foliis inferioribus mediisque distantibus 8-jugis, superioribus approximatis triplo longioribus incurvatis 20—30-jugis, foliolis oblongis subfalcatis rigidulis glaucescentibus glabris, junioribus piloso-ciliatis, rachi patentim pilosa, glandula petiolari maxima oblonga utrinque acuta depressa duplicato-labiata, labiis exterioribus tenuioribus medio patulis, interioribus tumidis, ore medio subhiante, stipulis subcordatis sensim attenuato-subulatis, pedunculis in summo caule supraaxillaribus subsolitariis flore vix longioribus, calycis laciniis ovato-oblongis breve acuminatis petala aequantibus, staminibus saepius quinque, alternis vix brevioribus, inferioribus erectis, superioribus longioribus incurvatis, leguminibus pilis brevissimis albidis adpersis 6—8-spermis, seminibus latitudine sesquolongioribus subquadratis.

In graminosis inter Omsamwubo et Omsamcaba, alt. 1500 ped. (V, b).

Folia inferiora 1—1½, suprema 4—5 pollices, foliola inferiora 6—9 lineas longa 2—3 lineas lata, suprema duplo minor. Flores illis *C. Capensis* vix majores.

SCHOTIA Jacq.

Calyx coloratus quadrifidus, laciniis aestivatione circumcirca imbricatis brevissime incumbentibus, deciduis, tubo persistente. **Petala** quinque obovata erectiuscula breve unguiculata. **Stamina** decem glabra, basi libera vel monadelpha, filamentis petala superantibus, antheris incumbentibus. **Stylus** filiformis glaber, stigmate parvo peltato. **Legumen** compressum, sutura dorsali anguste alata, 2—8-spermum ovatum vel oblongum, coriaceum indehiscens, valvulis demum transversim irregulariter ruptis. **Semina** ovata transversa, caruncula basilari. — **Character**, speciebus sequentibus adaptatus, an *Sch. speciosa* Jacq., quae generis typus est, conveniat nescio. Ex auctoris descriptione calyx est quinquefidus; ex Boerhaavio, ab illo laudato, corolla tetrapetala. In Africa australiori deesse videtur, quare Thouinio assentirem, **Senegaliae incolam esse.** Sed cf. Jacq. collect. I pag. 94.

Sectio I. SCHOTIA Cand.

Filamenta libera. Caruncula seminum parva membranacea.

1. ANGUSTIFOLIA: foliis 12—16-jugis, foliolis linearibus obtusiusculis ad basin marginis superioris gibboso-unidentatis, tubo calycis turbinato.

a) In collibus asperis ad fluvium Zondagrivier, alt. 1600—2000 ped. (II, b); *b)* inter Kunap et Katrivier, alt. 1000—1600 ped. (V, a).

Legumen non vidi.

2. TAMARINDIFOLIA AFZEL.: foliis 6—10-jugis, foliolis ellipticis obtusis mucronulatis basi inaequalibus, tubo calycis obovato ad faucem subcoarctato. — Cand. prodr. II pag. 508.

Sch. speciosa Thunb.? fl. cap. pag. 388 (dubia praesertim ob folia dicta impari-pinnata).

a) Gouritzrivier (IV, B, b), *b)* Enon, *c)* Klein Winterhoek, *d)* Glenfilling (V, a) ubique alt. 400—800 ped.; *e)* Craddock, alt. 2600 ped. (II, a).

Legumen 1—8-spermum subfalcatum vel sutura ventrali rectiuscula, dorsali valde curvata, 1½—5 pollicare, 15 lineas latum.

Sectio II. OMPHALOBIODES Cand.

Filamenta ad basin monadelpha. Caruncula seminum magna cupuliformis carnosae.

3. **LATIFOLIA** JACQ.: foliis 2—4-jugis, foliolis obovatis obtusis vel retusis mucronulatis.

a) Glenfilling, alt. 800 ped., b) Keiskamma, alt. 400 ped. (V, a); c) Zandplaat, alt. 1500 ped. (V, b).

Foliola multo majora ac antecedentium. Legumina duriora, paulo latiora, utroque margine alata, ad basin magis rotundata, praeterea quoad formam maxime variabilia; majora iis antecedentis subsimilia, monosperma vero saepe Anacardii formam aemulantia.

BAUHINIA Linn.

1. **GARIPENSIS**: inermis, foliis subcordatis emarginatis transverse ellipticis, ad apicem ramulorum brevissimorum fasciculato-confertis, floribus in iisdem ramulis terminalibus 1—6, pedunculis petiolos aequantibus, calyce campanulato grosse quinque-dentato, staminibus 10 liberis petala superantibus, leguminibus semiorbiculatis tenuissime glanduloso-punctatis longe stipitatis.

Inter Verleptpraam et Natvoet, in vallibus, infra 600 ped. alt. (III, B).

Folia 4—6 lineas longa ad apicem paulo magis quam ad basin emarginata, 6—10 lineas lata subcoriacea glabra glaucescentia. Calycis dentes subtriangulares, longitudine latitudinem parum superante. Petala subspathulata calyce fere triplo longiora, venis rubris di- vel trichotomis eleganter striata, ad marginem aequae ac calycis dentes ad lentem tenuissime ciliato-suberrulata. Legumen pollicem longum dimidium pollicem latum, sutura dorsali recta, ventrali semicirculari, compressum membranaceum glabrum, ad lentem glandulis minutis passim adpersum. Stipes circiter 9 lineas longus calyce immutato semivaginatus. Ovula circiter 20, quorum 4—6 foecundari solent. Semina semimatura oblonga superne paulo latiora quam inferne, transversa subreclinata, funiculo compressiusculo parum supra basin inserto,

caruncula hoc stadio nulla. — Ex quibus patet, ab omnibus generis sectionibus a cl. Candollio propositis aberrare. A *Caulotreto* differt calyce aequali, staminibus exsertis, ovario jam longe stipitato; a *Pauletia* calyce ampliato nunquam rupto, laciniis nequam vere valvatis, staminibus ad discum usque liberis aequalibus; ab omnibus forsitan insolita leguminis forma. Sed priusquam plures *Bauhiniae* species melius innotescerent, quin novum genus condam, me abstinendum putavi.

ACACIEAE R. Brown.**MIMOSA Linn.**

Cand. prodr. II, pag. 425.

1. **SPICATA:** caule suffruticoso rachique foliorum uncinato-aculeatis puberulis, foliis bipinnatis 5 — 7 - jugis, pinnis 9—12-jugis, foliolis oblique oblongis apice rotundatis muticis, margine superiore ad basin oblique cuneato-truncatis, tenuissime pubescentibus, spicis cylindraceutis paniculatis terminalibus, pedunculis subternis, leguminibus subfalcatis inter suturas persistentes secedentibus glabris nitidis, suturis ad basin rectis, apicem versus inter semina sinuatis, articulis longitudine plus quam duplo latioribus.

a) Ad rupes riparias fluvii Basche (V, b) et b) Port Natal (V, c), loco utroque infra 500 ped. alt.

Virgulta perplexa constituit diametro saepe quinquepedali et quod excedit.

ZYGIA Patr. Brown.

Ingae spp. Cand.

Calyx quinquedentatus. Corolla monopetala, limbo quinquefido. Stamina indefinita monadelphica, tubo filamentorum longissimo cylindrico, aestivatione cum stylo in spiram torto, dein stricto, antheris minutis incumbentibus peltatim semiglobosis didymis. Stylus staminibus longior subulatus, stigmate truncato. Legumen membranaceum complanatum indehiscens, valvulis inter semina arcte concretis, pulpa farinaque destitutis. Semina complanata obovata transversa, funiculo longo recto ad basin oblique affixa. Embryo rectus oblique erectus, testa brevior multoque angustior. — Genus a cl. Candollio in observationibus ad Ingam Zygiam prodr. II, pag. 440 et mem. legumin. pag. 424 indicatum admittere non haesitavi, quum character a staminibus desumptus leguminis fabrica egregie fulciatur. Ingae

Bourgoni-legumen autem ab *Aubletio* pariter interseptum pulpa destitutum describitur. Praeterea monendum, *Ingam virgultosam*, seu *Mimosam virgultosam Vahl*, ab ipso cl. *Candollio* in observationibus laudatis huc ductam, in specierum enumeratione omissam esse.

1. **FASTIGIATA**: caule arboreo, ramis fastigiatis, foliis bipinnatis quinquejugis, pinnis 8—15-jugis, foliolis oblique subquadrato-oblongis pubescentibus, glandula depressa oblonga ad basin petioli, spicis subcapitatis in apice ramulorum congestis axillaribus terminalibusque, pedunculis solitariis geminisve petiolum subaequantibus petiolisque rachibusque foliorum ferrugineo-tomentosis.

a) Inter *Omsamculo* et *Omcomas*, b) *Port Natal*, infra 800 ped. altit. (V, c).

Arbor 15—20 pedes alta. Rami inferiores circiter 15 pedes longi angulo fere 20 graduum patentes; superiores semisim breviores et magis patentes, ita ut cuncti eandem altitudinem attingant; unde habitus arboris valde singularis.

PROSOPIS Linn.

1. **ELEPHANTINA**: inermis, glabra, foliis 6—12-jugis, pinnis 20—25-jugis, foliolis linearibus obtusiusculis basi breve attenuatis, petiolis eglandulosis, spicis axillaribus geminis solitariisve.

Acacia elephantina Burch. travels II, pag. 236.

A. elephantorrhiza Cand. prodr. II, pag. 457.

Elandsboontje incol.

Vulgatissima in graminosis a) inter *Klipplaatrivier* et *Zwartkey*, alt. 3000—4000 ped. (I, a), et b) inter *Basche* et *Morley*, alt. 1500 ped. (V, b).

Caules ex radice varie flexa subrepente plures 1—2 pedes alti flexuoso-erecti suffrutescentes, ut tota planta glaberrimi. Folia incurvato-erecta, petiolo cum rachi principe semipedali et ultra, pinnis 3—4-pollicaribus, foliolis semipollicaribus subglaucescentibus. Spicae circiter bipollicares praecipue in foliorum

infimorum axillis. Calyx quinquefidus. Petala quinque libera. Stamina decem petalis paulo longiora omnia omnium florum antherifera, antheris glandula decidua terminatis. Legumen singulum vidi, vetustate corruptum, de genere tamen omne dubium removens. Est prope semipedale, latitudine sesquipollicari, rectiusculum compressum suturis constanter clausis, valvulis autem, ut in siliqua demum a suturis incrassatis secedentibus, perfecte uniloculare pulpa refertum, ut colligo ex substantia nigricante valvulas interne obducente, exsiccata quidem, sed in aqua fervida solubili. Semina non vidi.

ACACIA Neck.

§. 1. Floribus capitatis, aculeis stipularibus.

I. HORRIDA WILLD. — Cand. prodr. II, pag. 460, additis synonymis sequentibus:

Mimosa Nilotica Thunb. fl. cap. pag. 432 excl. Linn. synonym.

Acacia Karroo Hayn. arzn. gewaechs. X, tab. 33.

A. Sejal Delill., Cand. l. c., Hayn. l. c. tab. 30.

Doornboom incol.

Arbor vulgatissima ad ripas omnium ferme fluviorum planitiem Karroo percurrentium. Specimina lecta sunt ad fluvios
a) Buffelrivier parte superiore in regione Uitvlugt, alt. 3000 ped. (I, d), Zondagrivier, alt. 1600 ped. (II, c), Doornrivier, alt. 1200 ped. (III, A, c).

Mirifice variat, quod jam ex synonymorum copia apparet. Aculei formae principis modo bilineares modo quadripollicares et quod excedit, semper recti albi, cortice ramorum plus minusve fuscescente, saepe lenticulis minimis albentibus adperso. Folia 1—5-juga, glandulis nunc inter omnia, nunc, ubi juga plura adsunt, inter superiora; pinnae 5—12-jugae; foliola oblongo-linearum subaequalia apice rotundata glabra pallidiora vel subglaucescentia. Capitula vel solitaria vel aggregata. Stamina in flore masculo semper plurima receptaculo inserta. Florem hermaphroditum quem accuratissimus Hayne in *Acacia Karroo* sua staminibus 25 epipetalis praeditum observasse affirmat, equi-

dem non vidi. Legumen ab eodem auctore ex A. Sejal sua optime delineatum atque descriptum est, cujus venae fere rectae, ab utraque sutura proficiscentes, medio conniventes, ante maturitatem aegrius, deinde luculenter apparent, praecipuumque speciei characterem sistere videntur. Qui character in icone Delilleana, ceterum haud spernenda, neglectus est.

*2. NATALITIA: aculeis geminis stipularibus rectis erectis, foliis 4—7-jugis, glandulis inter juga omnia, pinnis 12—18-jugis, foliolis linearibus obtusis glabris opacis, capitulis pedunculatis axillaribus fasciculatis.

a) Port Natal et Omgeni alt. 300 ped. (V, c); inter Omgaziana et Omsamwubo, alt. 600—1000 ped. (V, b).

Antecedente similis et fructu adhuc ignoto definitu difficilis. Attamen diversam puto cortice albente nec fusco, aculeis saepe brevissimis et vix ullis, nunquam ultra 9 lineas longis, rectis quidem, sed erectis, nec divergentibus, foliorum pinnis pinnulisque pluribus, foliolis paulo minoribus praecipue angustioribus, apice obtusis quidem sed non rotundatis, opacis, nec pallentibus, capitulisque duplo fere minoribus.

*3. HIRTELLA: aculeis geminis stipularibus rectis divergentibus, foliis tenuissime hirtis 6—8-jugis, glandula petiolari et inter jugum ultimum, pinnis 10—15-jugis, foliolis oblongis acutiusculis, capitulis solitariis fasciculatisve axillaribus vel in apice ramorum subpaniculatis, leguminibus lineari-falciformibus compressis torulosis, junioribus acuminatis, maturis obtusatis glabris venoso-reticulatis.

Inter Omcomas et Omblas, infra 400 ped. alt. (V, c).

Cortex glaber pallide fuscescens. Aculei 3—6 lineas longi sordide albentes. Foliola lineam longa, utrinque, sed imprimis ad margines hirtella, pilis albidis vix nisi sub lente conspicuis, unde folia tanquam mucidine obducta paulisper canescunt. Florum capitula intense lutea. Involucrum in medio pedunculo vel paulo infra fere semper flores nonnullos sessiles verticillatos masculos proferens, quod an speciei proprium sit, an monstrositas saepius repetita, nescio. Legumen fere A. horridae sed

maturum obtusius, venis reticulatis nec costatis. Magis accedit ad *A. tortilem* Hayn. arzn. gewaechs. X, tab. 31, sed folia hirta potius quam tomentosa, florum capitula lutea, nec albentia, legumina falciformia nec contorta etc.

*4. *ARABICA* WILLD. — Cand. l. c. pag. 461. Hayn. l. c. tab. 32.

In depressis prope Port Natal (V, c).

Haynei descriptioni optimae pauca addamus. Rami aculeique robustiores quam in ulla alia Africae australis specie mihi nota, juniores sordide velutino-subtomentosi. Aculei saepe subrefracti. Foliorum pinnarumque rachis pubescens, foliola ipsa glabra. Glandulae perquam variae, plerumque solitaria petiolaris (nec inter infima) oblonga tumidula, saepe altera minuta teres inter suprema, interdum vix ulla. Legumen, quod haud procul a maturitate vidi, rectum compressum lineare pendulum 4—5 pollices longum 12—14-spermum, subtorulosum, marginibus inter semina contractis, minus tamen, quam in icone Roxburgiana, quam Hayne mutuavit, tomento sordide albente ad latera et inter semina servato, in seminibus protuberantibus glabratum, et tunc nigricans, latitudine semipollicari, inter semina vero 3—4-lineari.

5. *CLAVIGERA*: aculeis geminis stipularibus rectis erectis brevibus, foliis glabris 2—4-jugis, glandula minuta inter extrema, pinnis 20—30 jugis, foliolis oblongo-linearibus obtusis, capitulis axillaribus subsolitariis (?), leguminibus coriaceis crassis complanatis, ad suturas rotundatis irregulariter incurvatis, apice attenuatis obtusis, glabris, ad longitudinem oblique costato-venosis, venis superne conniventibus, sub-6-spermis non farctis, seminibus compressis.

Crescit cum praecedente (V, c).

Foliola 2—2½ pollices longa. Legumina subtripollicaria, 6—7-lineas lata, matura circiter sesquilineam crassa, seminum, ut videtur, superiorum abortu plerumque obversa clavaeformia, perfecte dehiscentia; visa tantum carnosam crederes, etsi revera dura coriacea sint.

§. 2. Floribus capitatis, aculeis rameis sparsis.

6. PENNATA WILLD. — l. c. pag. 464.

In praeruptis montium haud procul a missionariorum evangelicorum sede prope Omgaziana, alt. 1800 ped. (V, b).

Rami sulcati, cortice cinerascete. Aculei densi ad basin lati compressi cinerascetes, apice recurvo nigricante. Folia fere *A. lophanthae*, sed tenuiora, glandula oblonga in medio petiolo, aliaque interdum, at neutiquam semper, minuta inter extima. Capitula paniculata, flava, iis *A. Farnesiana*e parum minora, pedunculis solitariis medio ebracteatis; bractea ad basin solitaria persistente patente. Legumen membranaceum compressum subtortulosum, suturis parumper incrassatis, viridescens puberulum ad lentem transverse venulosum et punctis minimis brunneis adpersum 2—3-spermum inter semina leviter coarctatum, basi attenuatum, apice obtusum vel rotundatum, circiter 2 pollices longum, 8—10 lineas latum. Icon Burmanniana bona.

§. 3. Floribus spicatis, aculeis stipularibus.

7. CAFFRA WILLD. — Cand. l. c. pag. 459.

Haakjesdoorn incol.

Ad Doornrivier inter Wupperthal et Roggeveldskarroo, alt. 1000 ped. (III, A, d).

Aculei fusci nitidi, minores erectiusculi, majores ad basin latam compressi apice recurvo. Glandula petiolaris jugo primo plerumque proxima, cui accedere solet una vel altera inter extima. Spicae absque pedunculo saepe bipollicares et ultra.

8. FALLAX: aculeis geminis stipularibus recurvis, foliis 9—12-jugis, glandula petiolari et inter extima, pinnis 20—30-jugis, foliolis linearibus tenuissime pubescentibus, spicis geminis axillaribus, leguminibus membranaceis compressis linearibus utrinque acutis torulosis 6—10-spermis.

Ad ripas fluviorum a) Witrivier prope Enon, b) Keiskamma, infra 600 ped. alt. (V, a).

Ab antecedente, cujus tamen fructum non vidi, characterē difficiliter quam habitu distinguitur. Rachis foliorum cum

petiolo in hac quadripollicaris et longior, in antecedente 12—15 lineas longa, pinnarum in hac sesquipollicaris, in illa 8—9 lineas longa, foliola ipsa in hac 2—3 lineas, in illa circiter 1 lineam longa, in utraque semilineam lata, in hac subtus tantum, in illa utrinque pallide virentia, in hac sub lente fortiore evidenter pubescentia, in illa glabra. Spicae simillimae, sed in hac plerumque longius pedunculatae. — A sequente primo intuitu adhuc minus recedere videtur, sed aculei mere stipulares, nec in caule nec in foliorum rachi sparsi; et legumina linearia 3—4 pollicaria, 4—5-lineas lata, 6—10-sperma, colore fere radicis Rhei, ad lentem minute fusco-punctata. Illius legumina plerumque ejusdem quidem longitudinis, sed 9—10 lineas lata, utrinque magis acuminata, 3—4-rarius 6-sperma, inter semina plerumque leviter sinuata, multo magis torulosa, colore intense rufescenti-fusco, ad lentem punctis minutis pallidioribus adpersa.

§. 4. Floribus spicatis, aculeis rameis sparsis.

*9. CATECHU WILLD. — Cand. pag. 458.

α. petiolo rachique foliorum inermibus.

β. petiolo rachique foliorum aculeatis.

Var. α. inter Omtata et Omsamwubo, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

Var β. in valle rupestri ad Omcomas, alt. 400 ped. (V, c).

Speciei utriusque caulis inferne simplex, superne paniculatum ramosus, ramis oppositis (nec, ut in Chironiis, alternis) subfastigiatis. Sed purpurascens caulis, foliis non prorsus conniventibus utrinque subdecurrentibus, quadrangulus; albentis contra, foliis omnino conniventibus, nec decurrentibus, teretiusculus esse oporteret, nisi nervo foliorum medio subdecurrente anceps fieret. — Inter Pl. albentis varietates nulli certi fines. Variat fere ita, ut apud nos *Scabiosa succisa*, cui, quoad folia, non absimilis.

BELMONTIA.

Sebaeae sp. R. Brown.

Calyx quinquepartitus vel profunde quinquefidus, laciniis dorso alatis vel carinatis. **Corolla** marcescens quinquefida, tubo subcylindraco. **Stamina** quinque, antheris fauce inclusis apice glanduliferis, permanentiter rectis. **Stigmata** duo conniventia clavato - semiteretia. **Capsula** bilocularis, valvularum marginibus inflexis placentae centrali demum liberae quadripartibili insertis.

Cl. R. Brown Sebaeae characterem ita constituit, ut *Exacum cordatum* Linn. fil. excludatur, etsi Sebaeam esse dixerit, nec dubitem, hanc stirpem a Seba bene delineatam nominandi generis ansam dedisse. Hodie vero, ne generi optime circumscripto nomen eripere videar, hoc genus novo nomine salutandum esse putavi, dixique in memoriam Belmontii, ex cujus horto quondam ditissimo Seba maximam plantarum suarum partem tulit.

1. **GRANDIS**: foliis lanceolatis, supremis majoribus ovato-lanceolatis, alis calycis quinquepartiti lanceolatis profunde cordatis, glandula antherarum pedicellata, stylo antheris breviori.

In humidis graminosis a) inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 800 ped. (V, b); b) inter Omtendo et Omsamculo et c) prope Port Natal, infra 400 ped. alt. (V, c).

2. **CORDATA**: foliis subcordato-ovatis magnitudine subaequalibus, alis calycis quinquepartiti late ovatis cordatis, antherarum glandula sessili, stylo antheras superante.

Sebaea cordata R. Brown. — Roem. et Schult. syst. veg. III pag. 161, Cham. et Schlecht. in Linnaeae vol. I pag. 191.

β. *micrantha*.

Sebaea cordata γ. *micrantha* Ch. et Schlecht. l. c. pag. 192.

a) Prope Paarl, (III, D, a); b) Leeuwenberg (III, D, b), utroque loco 500 ped. alt.

Var. β. Leeuwenberg (III, D, b) et prope Bergrivier (III, D, a), infra 500 ped. alt.

3. **SPATHULATA**: foliis radicalibus maximis lingulato-spathulatis, caulinis ovatis, calycis ultra medium quinquefidi laciniis

exalatis lanceolatis acuminatis, antherarum glandula depressa, stylo (ni fallor) antheras superante.

In montosis Witbergen, alt. 7500 ped. (I, a).

Unicum adest speciei distinctissimae specimen jam defloratum. Caulis spithamaeus crassus subanceps, marginibus foliorum coadunatis decurrentibus. Folia radicalia bipollicaria, caulina media novem lineas longa, summa minora. Cymae subpaniculatae. Corollae omnes nimis laesae, sed antherae certe fauce inclusae. Capsula ovata omnino antecedentium.

SEBAEA Soland.

apud R. Brown.

Differt a Belmontia: floribus 4—5-meris, corollae tubo omnino cylindrico, staminibus exsertis, antheris defloratis recurvatis, stigmatibus capitato-didymo.

§. 1. Floribus pentameris.

1. ELONGATA: caule elongato, foliis ovatis, radicalibus maximis, caulinis multo minoribus decrescentibus distantibus, calycis quinquepartiti laciniis oblongo-lanceolatis acuminatis exalatis.

In fruticetis ad montem prope Roodemuur, inter Plettenbergsbaai et Langekloof, alt. 2000—2500 ped. (IV, A).

2. PENTANDRA: caule erecto ramoso, foliis ovatis subaequalibus internodiis brevioribus, calycis quinquepartiti laciniis oblongis acuminatis dorso medio alatis.

a) Ad fontes Nieuweveldiae et Uitylugt, alt. 3500—4000 ped. (I, d.); b) ad fontem Wonderheuvel, alt. 4800 ped. (I, b); c) inter Gekau et Basche, alt. 1000—2000 ped. (V, b); d) Znuerebergen, alt. 2000—3000 ped. (V, a).

3. CRASSULAEFOLIA CHAM. ET SCHL.: caule ad basin ramoso, ramis erectis, foliis late cordatis subrotundis apiculatis patentibus, calycis quinquepartiti laciniis oblongis acuminatis dorso anguste alatis. — Ch. et Schl. in *Linnaeae* vol. 1 pag. 193.

β? *stricta*: ramis strictis, foliis minimis cordato-ovatis reflexis. In graminosis a) Znuerebergen, alt. 2500—3000 ped. (V, a); b) inter Zandplaat et Komga alt. 2000—3000 ped. (V, b).

Var. β . in montosis rupestribus graminosis Witbergen, alt. 6000 ped. (I, a).

Varietatis β . habitus peculiaris. Singulum ejus adest specimen; si plura forent inter se convenientia, pro specie haberem.

§. 2. Floribus tetrameris.

4. ALBENS R. BROWN.: caule erecto superne ramoso foliisque ovatis canescentibus, calycis laciniis oblongis obtusissimis apiculatis exalatis. — Roem. et Schult. syst. veg. III p. 161.

a) Prope Duikervalei, infra 200 ped. alt. (III, E, b);
b) prope Piquetberg, alt. 500 — 1000 ped. alt. (III, D, a).

5. AUREA R. BROWN.: caule erecto superne ramoso, foliis ovatis, calycis laciniis oblongo-lanceolatis acuminatis subalatis. — R. et Schult. l. c.

β . *Wurmbeana*: caule elongato gracili subsimplice, foliis superioribus sublinearibus.

Ad montem Tafelberg, alt. 500 ped. (III, D, b).

Var. β . *a*) in Wupperthal (III, A, d) leg. baro de Wurmb;
b) inter Dwarsrivier et Ezelsbank, alt. 3000 — 4000 ped. (III, A, d); *c*) Paarlberg, in uliginosis, alt. 1500 ped. (III, A, e).

Variat insuper corollis luteis albisque. Flores semper perfecte tetrameri.

6. AMBIGUA CHAM. ET SCHLECHT.: caule superne ramoso, foliis ovatis patulis, calycis laciniis ovato-navicularibus gibboso-alatis. — Cham. et Schl. l. e. vol. VI pag. 346.

In montosis humidis inter Boschkloof et Honigvalei, alt. 2000 ped. (III, A, d).

7. PALLIDA: caule superne ramoso, foliis ovatis, calycis laciniis oblongis apiculatis subcordato-alatis.

a) Leeuwenberg, alt. 500 (III, D, b); *b*) prope Paarl, alt. 400 ped. (III, D, a); *c*) in planitie inter urbem et Tyger-valei, infra 200 ped. alt. (III, E, b).

Flores albentes. Ab antecedente differt alis calycinis ad basin nec supra medium latissimis. An vero utraque satis differat ab aurea, non nisi in vivis post saepe iteratas observationes adjudicare licebit:

LAGENIAS.

Calyx quinquepartitus, laciniis subcarinatis. **Corolla** marcescens quinquefida, tubo subampullaceo. **Stamina** quinque, antheris fauce inclusis hastatis demum recurvatis apice uni- ad basin biglandulosi. **Stigma** suborbiculare. **Capsula** Belmontiae.

1. PUSILLUS.

Sebaea pusilla Ecklon. apud Cham. et Schlecht. in Linn. vol. VI pag. 346.

In montosis humidis ad fontes et rivulos a) Paarlberg alt. 1000 ped. (III, A, e); b) Cederbergen, alt. 2000—4000 ped. (III, A, d); c) Giftberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, c).

Genus GENTIANEIS affine.

VILLARSIA Vent.

1. INDICA VENT.

a) Klein Draakensteen, in aquis stagnantibus, alt. 400 ped. (III, D, a); b) locis similibus, in Witrivier prope Enon (V, a).

2. OVATA VENT.

$\beta?$ lanceolata, tenuior, foliis lanceolatis.

In uliginosis et stagnis a) summi montis Tafelberg et b) montium prope Niewekloof, alt. 2000—3000 ped. (III, A, e); c) Klein Draakensteen, alt. 500 ped. (III, D, a); d) Zuurbergen, alt. 2500 ped. (V, a); e) prope Chaulmnarivier, alt. 1500 ped. (V, b).

Var. β . in valle humida prope Port Natal infra 100 ped. alt. (V, c).

APOCYNÆAE Juss.

Tribus I ECHITEAE.

Apocynearum sect. I R. Brown.

Folliculi duo liberi, rarius in capsulam bilocularem connati.

Semina comosa. Albumen tenuissimum.

BELONITES.

Echites Thunb. fl. cap., non Linn.

Corolla hypocrateriformis vel subinfundibuliformis, limbi laciniis subaequilateris, aestivatione sinistrorsum contortis, tubo filamentisque intus inferne barbatis. Antherae medio tubo inclusae in conum conniventes sagittatae, appendicibus polline vacuis. Stylus cylindricus. Stigma oblongum, ad basin annulo cum antheris cohaerente cinctum. Folliculi compressiusculi erectiusculi. Semina pendula compressiuscula circa umbilicum comosa. Albumen tenuissimum. Radicula crassa obovato-conoidea, cotyledonibus subfoliaceis cordatis obtusissimis longior. — Fruticuli erecti subcarnosi, radice napiformi, foliis alternis, callo subcorneo bispinoso fultis, floribus axillaribus subaggregatis breve pedunculatis.

Genus naturalissimum, jam a clo Roberto Brown (vermischte Schriften II pag. 397) indicatum. Nomen a Graeco *βελώνη*, acus, propter caulem aculeatissimum. Belloniae genus, quod a quibusdam perperam *Belonia* scribitur, minime ejusdem originis, sed a Plumerio in Petri Bellonii memoriam dictum est.

I. SUCCULENTA: foliis subtus tomentosis, corollis hypocrateriformibus, limbi laciniis spathulatis.

Echites succulenta Thunb. fl. cap. pag. 232.

In collibus asperis siccis a) Nieuweveld, alt. 3500 ped. (I, d); b) Rhinosterkop, alt. 3000 ped. (II, d); c) Zuurbergen, ad latera montium septentrionalia, alt. 2000—2500 ped. (V, a).

2. **BISPINOSA**: foliis subtus glabris, corollis infundibuliformibus, limbi laciniis basi latissimis.

Echitis bispinosa Thunb. l. c.

In collibus inter frutices prope Klipfontein, alt. 2000 ped. (V, a).

Hujus fructum non vidi.

ECTADIUM.

Corolla hypocrateriformis, limbi laciniis subaequilateris aestivatione sinistrorsum contortis. Tubus processibus quinque lanceolatis compressis inclusis ante sinus positus. Stamina inclusa imo tubo imposita. Antherae medio stigmati adhaerentes, extus sursum dense hirsutae. Ovaria bipartibilia subsemiglobosa. Stigma peltatum. Folliculi graciles expansi. Semina pendula compressa oblonga circa umbilicum comosa. — Nomen a verbo *ἐκτείνω*, expando, fructui adaptatum.

1. VIRGATUM.

Ad ripas limosas fluvii Garip infra 300 ped. alt. (III, B).

Caulis suffruticosus, ramis erectis virgatis, junioribus cano-puberulis, adultis virentibus glabris. Folia opposita anguste linearia rigida plana utrinque acuminata subpungentia demum glaberrima erectiuscula bipollicaria. Cymae in ramulis axillaribus abbreviatis axillares subseptemflorae, cum calycibus cano-pubescentes. Flores parvi, ni fallor lutei. Folliculi teretes calicium scriptorium crassi bipollicares.

Tribus II PLUMERIEAE.

Apocynearum sect. II R. Brown.

Folliculi duo liberi vel in capsulam bilocularem connati. Semina ecomosa, saepe marginata. Albumen modicum.

GONIOMA.

Calycis lacinae obtusae. Corolla hypocrateriformis, limbi laciniis subcordatis aestivatione dextrorsum contortis, tubo intus hirsuto, supra stamina angulato, ad faucem coarctato. Antherae

medio tubo inclusae, filamentis brevissimis, in conum conniven-
tes subsagitatae, totae polline repletae, cum stigmate non cohae-
rentes. Folliculi teretiusculi angulo recto patentes. Semina pen-
dula retrorsum imbricata complanata, ala oblonga reticulata cin-
cta. Albumen magnum compressum suborbiculatum. Embryo al-
bumine multo brevior bicurvis. — Frutex, foliis oppositis vel
superne ternatis ligustrinis, cymis parvis terminalibus, corollis
circiter tres lineas longis subcoriaceis luteolis. — Nomen a
γωνίω angulum facio, ob folliculos angulo recto patentes. Idem
genus a clo Ecklone Camassiam vocari audio; sed ejusmodi no-
mina generica evitanda esse existimo, non quia barbara sint, sed
quia speciem quandam singulam significare, et simulatque plu-
res species innotescunt, incongrua fieri solent.

I. KAMASSI.

Kamassihout incol.

β. brachycarpum: folliculis duplo brevioribus, profundius sul-
catis. (An species peculiaris?)

In sylvis *a*) prope Vanstaadesrivier (IV, C, c), et *b*)
prope Meulrivier (IV, C, b); utroque loco 400 — 1000 ped.
alt.

Var. *β.* locis similibus prope Galgebosch (IV, C, c).

VOACANGA Pet. Th.

— Nov. gen. Madagascar. in Roemer Collect. pag. 203.

I. DREGEL.

In vallibus uliginosis inter Omcomas et Port Natal, infra
400 ped. alt. (V, e).

Arbor 30 — 40 pedalis. Ramuli crassi, ligno subpon-
gioso, foliorum dejectorum cicatricibus reticulati. Folia in apici-
bus ramulorum conferta, opposita, breve petiolata, petiolis semi-
amplexicaulibus, ope membranae stipularis intrapetiolaris, lamini-
bus oblongis obtusis basi cuneatis integerrimis subcoriaceis glabris,
4 — 6 pollices longis, supra medium circiter 1½ pollicem latis.
Cymae ex summorum foliorum axillis, pedunculo crasso 2 — 3
pollicari, pedicellis crassis brevibus fragilibus. Bractee margo

membranaceus. Calyx tubuloso-campanulatus, limbi laciniis brevibus erectis late ovatis obtusis, aestivatione imbricatis, tubo post anthesin parum supra basin circumscisso-deciduo. Corolla subinfundibuliformis, limbi laciniis oblique ovatis patulis, aestivatione dextrorsum contortis, tubo calyce multo tenuiore et parum longiore leviter flexuoso, ad faucem ampliato subventricosol. Annulus hypogynus glandulosus integer. Antherae filamentis brevibus fultae, sagittatae in conum acutissimum semiexsertum conniventes sed minime cohaerentes, appendicibus polline vacuis. Germen biloculare, ovariis cavitate vacua discretis. Stylus sensim subincrassatus, apice cupuliferus, appendicibus binis parvis retrorsum subhamatis. Stigma liberum antheris obtectum capitato-bilobum (in generis characterere errore calami trilobum dictum esse existimo). Folliculi duo baccati pruniformes patentissimi, substantia corticali crassa. Semina plurima ovoidea nuda intra pulpam nidulantia.

ARDUINA Linn.

Carissae spp. Lam. et alior.

Corolla hypocrateriformis, tubo superne vix ampliato, limbi laciniis aestivatione dextrorsum contortis, ad faucem villis in tubum decurrentibus clausa. Genitalia et fructus *Carissae*.

Differt itaque a *Carissa* Linn. corolla nec infundibuliformi nec ad faucem nuda. Quae an sufficiant, alii dijudicent. — *Carissae* bacca vel, ut *Correae* placuit, pomum, quum ab hoc in *Annal. du Mus.* VIII pag. 70, tum a cl. R. Brown in prodromo pag. 468 bilocularis dicitur, placentis dissepimento adnatis. *Arduinarum* fructus cum eo *Carissae Carandae* a cl. *Correa* l. c. delineato exacte convenit. Minime vero ex binis ovariis connatis originem ducit, sed ex unico tantum, altero abortivo. Unde colligo, dissepimentum spurium esse, ex mera placenta confectum, quae, maturitate assecuta, columellam complanatam liberam constituit.

— Fructus specierum omnium edules sunt, et promiscue vocantur Numnum ab *Hottentottis*.

1. **BISPINOSA** LINN.: corollae laciniis acuminatis, tubo multo brevioribus, baccis ovalibus (rubris) dispermis. — Linn. mont. pag. 52.

Carissa Arduina Lam. — Roem. et Schult. syst. veg. IV pag. 520.

In umbrosis humidis sylvarum et ad rivulos a) Ado, b) Boontjesrivier, c) prope Katrivier, undique alt. 1000 — 2500 ped. (V, a); d) inter Omtata et Omgaziana, alt. 1500 ped. (V, b).

2. **ACUMINATA**: corollae laciniis acuminatis tubo multo brevioribus, baccis oblongis utrinque attenuatis (rubris) dispermis.

In nemorosis prope Cataractam magnam, alt. 400 — 800 ped. (V, b).

Folia plerumque multo majora magisque acuminata ac praecedentis, haud raro 3 pollices longa et fere duos lata. Spinae rariores et tenuiores. Baccae 7 — 8 lineas longa.

3. **FEROX**: corollae laciniis ovatis obtusiusculis tubo multo brevioribus, baccis ovalibus (coeruleis) dispermis.

Arduina bispinosa Hortulan. non Linn.

In collibus asperis apricis a) Camdeboo, inter Stellenboschvlei et Hamerkuil alt. 3000 ped. (II, b); b) prope Kookhuis ad fluvium Groot Vischrivier, alt. 200 ped. (V, a); c) prope Zwartkopsrivier, infra 200 ped. alt. (IV, C, c).

Spinae in planta spontanea validissimae plerumque bis dichotomae, ramulique subvelutini. Folia raro pollicem longa elliptica vel subovata. Baccae iis *A. bispinosae* forma et magnitudine similes 4 — 5 lineas longae, colore caeruleo dissimiles.

4. **GRANDIFLORA**: corollae laciniis obovato-oblongis tubum aequantibus, baccis ovalibus (violaceis) polyspermis.

Ubique haud procul a mari inter Omsamcaba et Port-Natal, infra 200 ped. alt. (V, c).

Ramuli robusti; spinae graciles. Folia ovata obtusa cum mucrone, 1 — 2 pollices longa, reliquorum foliis fere crassiora. Florum Jasminum redolentium limbus expansus diametro sesquipollicari, baccaeque prope sesquipollicares, ni fallor, octospermae. Nonnisi dissectas vidi, quare de numero seminum dubius haereo.

STRYCHNOS Linn.

1. SPINOSA LAM. — Poir encycl. VIII pag. 697.

In sylvis et collibus graminosis inter Omtendo et Omgeni frequens, infra 500 ped. alt. (V, c).

Cli Poiretii descriptioni haec addere sufficiat. Caudex modo arboreus, modo in fruticem altiorem abiens. Rami angulis rectis divaricati stricti. Spinae axillares aequae divaricatae strictae. Flores non vidi. Baccae adsunt diametro 4 — 6 pollicari. — Pulpa baccarum deliciosa est. Cortice baccarum indurato, sculpturis variis eleganter ornato Caffri perinde ac vasis utuntur.

ASCLEPIADEAE R. Brown.

Celeberrimus hujus ordinis conditor coronam stamineam non solum modo monophyllam modo pentaphyllam dixit, sed hoc discrimine quoque in generibus disponendis usus est. Verum quotquot Asclepiadearum flores perquisivi, nullam reperi coronam sua sponte in partes secedentem, nullam, cujus partes absque dilaceratione separari possent. Ergo semper monophyllam esse puto, saepiusque observavi lacinias, quae primo intuitu distinctissimae viderentur, ima basi margine sinuato cohaerere. Quae discriminis illius ambiguitas nec ipsum Brownium fugisse exinde colligo, quod Xysmalobio suo in conspectu generum coronam pentaphyllam, in generis ipsius caractere monophyllam seu partitam tribuit, et vice versa Metaplexidi suae coronam hic pentaphyllam, ibi quinquepartitam.

Verm. Schrift. II pag. 357 sqq.

Tribus I. **VERAE** R. Brown.

SUBTRIBUS I. MASSIS POLLINIS ERECTIS.

CEROPEGIA Linn.

R. Brown. l. c. pag. 358.

1. **PUBESCENS**: tota pubescens, foliis ovatis cordatis acuminatis, corollae tubo elongato ampullaceo ad basin violaceo, superius maculato, limbi laciniis linearibus, marginibus reflexis pilosis, sinibus obtusis.

In rupestribus frutectosis inter Basche et Morley, alt. 1500 ped. (V, b).

2. **CARNOSA**: glabra, foliis ovato-lanceolatis subcarnosis, corollae tubo inferne vesiculoso purpurascente, superne clavato interrupte purpureo-striato vel maculato, limbi laciniis ovatis acutis contiguis.

In fruticetis inter Kovi et Kaprivier, alt. 500 — 1000 ped. (V, a).

3. **LINEARIS**: glabra, foliis lanceolato-linearibus, corollae tubo gracili, medio angustiore violaceo-striato, limbi laciniis angustissimis pilosis, sinubus reflexis.

In collibus arenosis et inter frutices haud procul a littore inter Omtendo et Omsamculo, infra 100 ped. alt. (V, c).

Cf. *C. Africana* R. Brown. in Bot. regist. nr. 626, quae, quidquid folia differant, forsitan tamen non nisi varietas latifolia est, cultura progenita.

4. **INFUNDIBULIFORMIS**: glabra, foliis angustissimis, corollae tubo infundibuliformi maculis atropurpureis variegato, limbi laciniis angustissimis crispis tubo parum brevioribus subciliatis.

In Camdeboo prope Hamerkuil, alt. 3000 ped. (II, b).

Radices hujus napiformes, 4 — 6 pollices longi, diametro superne 6 — 8-lineari, succo perdulci scatentes, prae reliquis illarum terrarum deliciosae sunt.

5. **FIMBRIATA**: caule florifero aphylo glabro cinerascete, (foliis caducis?) corollae tubo longissimo rubro-striato, ad basin vesicario, superne sensim ampliato, limbi laciniis unguiculatis supra ungues cohaerentibus, ad basin fimbriatis, fimbriis angustissimis cuneatis violaceis pendulis.

In collium saxosorum siccorum fruticetis prope Vischri-vier, haud procul a Trompetersdrift, alt. 600 ped. (V, a).

6. **AMPLIATA**: caule florifero aphylo glabro cinerascete, (foliis caducis?) corollae tubo subcylindraco-campanulato striato infra medium zonato, limbi laciniis oblongo-lanceolatis, marginibus reflexis subciliatis, sinubus subreflexis.

Crescit iisdem locis una cum praecedente.

7? **TORULOSA**: pubescens, foliis oppositis profunde cordatis, lobis introflexis, umbellis laxis lateralibus terminalibusque, in pedunculis elongatis axillaribus, corollae tubo ampullaceo, limbi laciniis linearibus rectis, coronae exterioris laciniis quindecim subulatis divaricato-radiatis, interioris laciniis quinque erectis late ligugatis apicibus incurvatis stigmati incumbentibus, folliculis longissimis tenuissimis flexuosis torulosis.

Ad ripas fluviorum rivulorumque in fruticetis a) Zuurebergen et Albany, alt. 800 — 1500 ped. (V, a); b) prope Kachu,

alt. 1000 — 1500 ped. (V, b); c) Port Natal, infra 100 ped.

alt. (V, c); d) inter Kraairivier et Leenwenspruit in rupestribus, alt. 4500 ped. (I, a).

Coronae stamineae exterioris folliculorumque formae insolitae genus peculiare indicare videntur. Sed priusquam reliquarum Ceropegiarum fructus innotuerit, hanc separare non ausim.

STAPELIA Linn.

Decem hujus generis species a Dregeo lectas coram habeo, quarum loca natalia, geographicae plantarum computationis causa afferam. Species autem ex speciminibus siccis minusque completis extricari nequeunt.

1, 2 et 3 in planitie Karroo (II d).

4, 5, 9, 10, in Namaqua parva (III, B).

6. Nieuweveld (I, d).

7, Nieuwe Hantom (I, b).

8, Prope Ebenesar (III, C).

BRACHYSTEMA R. Brown.

in Botan. Magaz. nr. 2343.

Generis characteri adde: Folliculi gemini graciles laeves erecti, pedunculo recto. Semina comosa.

Tubera specierum plurimarum, ne dicam omnium, edulia sunt.

1. TUBEROSUM R. BROWN.: caule foliisque lanceolato-linearibus hirtis, corollae rotatae tubo depresso, limbi laciniis ovato-lanceolatis ciliatis, coronae stamineae lobis triangularibus integris. — Bot. Magaz. l. c. Bot. Regist. nr. 722.

a) Inter Kuga et Zondagrivier, alt. 500 — 1000 ped.

(IV, C, c); b) Katberg, in rupestribus humidisculis, alt.

4000 — 5000 ped. (I, a).

Folia plantae sponte natae multo minora ac cultae, ad summum 6 lineas longa, 1 lata.

2? COMARU: foliis linearibus, marginibus convolutis cauleque apicem versus tenuissime subvelutinis.

Comaru incolar.

Prope Steelkloof, alt. 3500 — 4000 ped. (I, d).

Flores ignoti, ideoque planta dubia, sed certe hujus generis maxime naturalis. Ab antecedente, cui quoad folia proxi-

mum est, differt pubescentia obsoleta molli, foliis convolutis, tuberibusque saepe semipedalibus, cortice maxime rugoso tectis.

3. **CIRCINATUM**: foliis angustissime oblongis cauleque puberulis, corollae tubo urceolari, limbi laciniis angustissimis longissimis, aestivatione circinatis, tum flexuoso-erectis, coronae stamineae lobis palmatis.

In collibus graminosis prope Rietvlei ad radices montium Witbergen, alt. 5000 ped. (I, a).

Huic proximum videtur *Br. spathulatum* Lindl. in Bot. Reg. nr. 1113. Sed nostrae plantae folia raro ultra pollicem longa, plerumque breviora, floresque triplo minores ac in icone laudata. Tuber ovatum, nuce avellana parum majus.

4? **SINUATUM**: foliis linearibus, marginibus interrupte reflexis sinuato-dentatis, subtus tenuissime tomentosus pallentibus, supra ramulisque puberulis, corollae extus velutinae laciniis subtriangularibus.

Kamu Hottent.

In collibus asperis prope Dweka, alt. 2500 ped, (II, d); prope Brakvlei, alt. 3500 ped. (I, d).

Tuber napiforme, dimidio pede longius, cortice squamuloso. Caulis basi crassus lignosus ramosus, vix tamen spithamaeus. Flores nondum aperti minutissimi in foliorum axillis aggregati.

5. **CRISPUM**: foliis oblongis sinuatis irregulariter undulato-crispis, cauleque puberulis, corollae tubo campanulato, limbi laciniis elongatis angustissimis subspathulatis.

Kukune hottent.

In collibus asperis prope Hamerkuil, alt. 3000 — 3500 ped. (II, b).

Tuber depressum, ut in *Br. tuberoso*, cujus icon in Bot. Mag. hujus etiam tuber satis exprimit. Folia saepe reflexa, 3 — 4 lineas longa. Flores vix 3 lineas longi. Folliculi minus erecti ac in *Br. tuberoso*.

6. **MICRANTHUM**: glabrum, foliis oblongis planis integerrimis, corollae minutissimae laciniis ovato-lanceolatis calyce parum longioribus patentibus, corona staminea protensa.

Krotje incol.

In asperis a) ad montem Los Tafelberg, b) prope Schi-
loh, 4500 — 5000 ped. alt. (I, a).

Tuber adhuc magis depressum quam in antecedente. Folia
circiter 5 lineas longa. Flos ne lineam quidem longus. Folliculi
gracillimi, sed nihilominus 2½ pollices longi.

7? **HIRSUTUM**: foliis ovatis acutis planis ramisque pubes-
centibus.

Loci natales speciales dubii. Passim occurrit in regione I, a.

Tubera floresque ignoti. Folia 7 — 9 lineas longo, 4 cir-
citer lata, transversim venoso — lineata. Folliculi subvelutini.

8? **MACRORRHIZUM**: glabrum, foliis ovatis undulato - cris-
pis nitidis canescentibus.

An *Pergularia edulis* Thunb.? fl. cap. pag. 233.

An *Echites edulis* Thunb.? in genus *Echitis* observationes.
1819. pag. 5. fig. 2.

Kuu Hottent.

Ad montem Oudeberg, alt. 3500 — 4000 ped. (I, C).

Nonnisi tubera et folia vidi. Illa ut a Thunbergio descri-
buntur, humani capitis magnitudine, subgloboso - depressiuscula.
Folia 6 — 8 lineas longa breve pedunculata reflexa. Ex habitu
Brachystelma esse vix dubitaverim, plantamque adeo insignem
silentio praeterire nolui.

SISYRANTHUS.

Corollae tubus campanulatus ad sinus angulatus, limbi la-
ciniae erectae intus strigilloso-barbatae, barbibus in tubum decur-
rentibus. Genitalia tubo inclusa. Corona staminea quinquefida,
laciniis ovatis intus sub apice apiculatis, apiculo verrucaeforni
ciliato. Antherae apice nudaе. Massae pollinis erectae. Stigma
depressum. Folliculi gemini divergentes graciles laeves. Semina
ignota. — A *Brachystelmate*, licet utriusque characteres parum
differant, habitu diversissimus. Nomen a *ολοργα*, pellis.

1. **VIRGATUS**.

In graminosis altioribus inter Omsamwubo et Cataractam
magnam, alt. 500 — 1000 ped. (V, b).

Tota planta glaberrima pallide virens, sed neque glaucescens neque cinerascens. Caulis simpliciusculus gracilis virgatus circiter 2½ pedes longus. Folia angustissime linearia carinata stricta tripollicaria ima basi dilatato - semiamplexicaulia. Umbellae axillares pedunculatae 3 — 5 florum, pedicellis filiformibus pedunculum aequantibus. Flos duobus lineis vix longior. Calyx corollae tubo parum brevior quinquepartitus patulus. Corolla extus rugulosa flavescenti - virescens, ad faucem leviter contracta.

TENARIS.

Corolla quinquepartita subrotata, laciniis anguste spathulatis. Corona staminea quinquepartita, laciniis ovatis apice bidentatis. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis erectae. Folliculi gemini graciles laeves erecti, pedunculo recto. Semina comosa. — Nomen a verbo *τελω*, tendo, distendo, propter corollae lacinias rectas distensas.

I. RUBELLA:

In graminosis a) Ado et b) Glenfilling, alt. 800 — 1500 ped. (V, a).

Radix tuber placentiforme diametro circiter sesquipollicari. Caulis subsimplex gracilis virgatus sesquipedalis, ut tota planta glaberrimus subcaerulescens. Folia angustissime linearia plana erecta 2 — 3 pollicaria. Cyma parva terminalis. Corolla dilute violacea, limbi laciniis tres lineas longis.

TYLOPHORA? R. Brown.

verm. Schrift, II pag. 365.

I. SYRINGAEFOLIA.

In sylvae Galgebosch, alt. 400 — 800 ped. (IV, C, c).

Caulis herbaceus volubilis pubescens. Folia opposita, superiora ternata, petiolata ovata subinde leviter subcordata acuminata, supra ad costam, subtus undique pubescentia. Pedunculi inter bina folia subopposita tertii folii hic constanter deficientis locum tenentes, umbellis saepius tribus, altera supra alteram sessili. Flores sordide virentes, corollae laciniis ovatis

eum caractere generis exacte congruentes. Folliculus abortu singulus, pedunculo recto, junior jam turgidus erostris, non tamen laevis, sed dense verrucosus, verrucis minutis depressis subscutelliformibus; quare de genere parumper dubito.

SUBTRIBUS II. MASSIS POLLINIS TRANSVERSIS.

DREGEA mihi.

Corollae tubus urceolatus, limbus rotatus. Corona staminea quinquepartita, laciniis ovalibus obtusissimis. Antherae membrana terminatae transversim dehiscentes. Massae pollicis transversae, extrimitate exteriori affixae. Stigma conicum usque ad apicem subbilobum antherarum membranis tectum. Folliculi gemini divaricati pyramidales laeves tetrapteri, alis superne angustatis. Semina comosa. — Genus Gonolobo quidem quum habitu tum caractere proximum, attamen omnino diversum corona staminea profunde quinquepartita, stigmate conico, folliculisque late quadrialatis. Amico, cui tantas Florae divitias exquisitissimas debemus, dicatum, spero fore, ut et duret et accrescat.

1. FLORIBUNDA.

a) Zauerebergen, in sylva prope Stroebels, alt. 2500—3000 ped., b) Hoffmannskloof prope Enon, alt. 400 ped., c) in colibus prope Katrivier, alt. 2000 ped. (V, a).

Caulis frutescens volubilis. Folia opposita petiolata ovata, acumine obtuso, glabra. Umbellae axillares oppositae pedunculatae multiflorae. Corollae pallide badiæ diameter trinlearis. Folliculi subtripollicares, alis fere aequidistantibus, binis dorsalibus, tertia et quarta lateralibus, basi circiter 4 lineas latis, superne sensim angustioribus, suberoso-dentatis, ad longitudinem oblique striatis. Interior folliculorum facies nitidissima. Semina compressiuscula, margine tumidulo.

SUBTRIBUS III. MASSIS POLLINIS SUSPENSIS.

PENTARRHINUM.

Corolla quinquepartita reflexa. Corona staminea quinquepartita, laciniis subcuneatis truncatis complicatis, processum aver-

sum rostratum exserentibus. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis oblongae teretes, apice obtuso suspensae. Stigma depressum muticum. Folliculus abortu singulus turgidus, spinis innocuis uncinatis echinatus, pedunculo recto. Semina comosa.

— Ab Asclepiade massis pollinis nec compressis nec apice attenuatis, et adhuc magis habitu differt. Nomen ex flore quasi quinquenasuto.

1. INSIPIDUM.

Inter frutices fluviis vicinos vulgare *a*) prope Enon, alt. 350 ped., *b*) Klein Winterhoek alt. 800 ped. (V, a); *c*) ad Zondagrivier prope Blaauwekrans, alt. 1700 ped. (II, c).

Caulis suffrutescens volubilis glaber. Folia opposita cordata acuminata glabriuscula. Umbellae axillares pedunculatae alternae, i. e. axilla folii alterius umbellifera, alterius alteri oppositi sterili. Flores ex violaceo virentes. Folliculi seminatari, licet omnino insipidi sint, ab Hottentottis eduntur.

ASPIDOGLOSSUM.

Corolla quinquepartita subrotata. Corona staminea quinquepartita, laciniis ex lata basi longissime attenuato-subulatis duplicatis (seu intus processu conformi ideoque ad verso auctis). Antherae membrana terminatae. Massae pollinis compressae, apice attenuato suspensae. Stigma depressum muticum. Fructus ignotus. — Herbae erectae angustifoliae, pedunculis axillaribus fasciculatis nutantibus, fasciculis subalternis. Nomen a similitudine laciniarum coronae duplicatarum cum duplicata serpentium lingua derivatum.

1. HETEROPHYLLUM; caule flexuoso-erecto ramoso foliisque inferioribus lanceolatis superioribus linearibus puberulis, fasciculis subsexfloris, corolla subrotata, coronae laciniis edentulis.

In montosis graminosis asperisque *a*) prope Roodemuur, alt. 2000 — 2500 ped. (IV, A); *b*) ad latera septemtrionalia montium Zurebergen, alt. 2000 — 3000 ped. (V, a).

Planta vix spithamaea tenuis debilisque. Flores minimi.

2. FASCICULARE: caule erecto simpliciusculo pedunculisque divaricatis hirsuto, foliis lanceolato-oblongis pubescentibus,

fasciculis suboctofloris, corolla subreflexa, coronae laciniis utrinque dente brevi erecto auctis.

In graminosis montosis Katberg et Windvogelberg, alt. 4000 — 5000 ped. (I, a).

Caulis spithamaeus, mollis, eo antecedentis crassior. Folia nunc 4 lineas lata, nunc dimidio angustiora.

3. BIFLORUM: caule simplicissimo erecto virgato, foliisque angustissime linearibus cano - pubescentibus, pedunculis subgeminis flore brevioribus, corolla erectiuscula, coronae laciniis utrinque dente horizontali auctis.

In asperis ad montem Windvogelberg, alt. 4500 ped. (I, a).

Caulis pedalis et ultra gracilis duriusculus.

GOMPHOCARPUS R. Brown.

Corolla quinquepartita reflexa. Corona staminea quinquepartita, laciniis processu interiore destitutis, plerumque utrinque unidentatis. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis compressae apice attenuato suspensae. Stigma depressum muticum. Folliculus abortu singulus ventricosus, spinis innocuis echinatus, erectus, pedunculo bistorto. Semina comosa.

1. HASTATUS: caule subherbaceo ascendente, foliisque oblongo-ovatis hastatis scabris, umbella terminali gemina, coronae laciniis utrinque unidentatis supra medium ligulatis, folliculo rostrato.

In graminosis inter fluvios Chalumnarivier et Buffelrivier, alt. 1500 — 2000 ped. (V, b).

2. ARBORESCENS R. BROWN: caule subarborescente, ramis lignosis validis umbellis axillaribus multifloris villosis, foliis confertis ovato-oblongis mucronatis glabriusculis, coronae laciniis obtusis utrinque unidentatis, folliculo subrostrato. — R. Brown. verm. Schrift. II pag. 375. R. et Schult. syst. veg. VI pag. 86.

Asclepias pubescens Linn. mant. pag. 215 (excell. synn.) ejusdemque herb., auct. R. Brown. l. c.

In rupestribus a) Tygerberg, alt. 500 — 1000 ped. (III, D, a); b) inter Modderfontein et Uitkomst, alt. 2000 ped. (III, C).

3. FRUTESCENS R. BROWN.: caule suffrutescente elato, ramis virgatis puberulis, foliis anguste lanceolatis acuminatis glabris, umbellis axillaribus suboctofloris, coronae laciniis truncatis, angulis utrinque in dentem arrectum elongatis, folliculo rostrato. — R. Brown. l. c. R. et Schult. l. c. pag. 87.

a) Garip, infra 500 ped. alt. (III, B); *b)* Wupperthal 1600 ped. alt. (III, A, d); *c)* prope Zwartbulletje ad fluvium Gamka, alt. 2500 ped. (II, d); *d)* Brakrivier Nieuweveldiae et Brakvalei in Uitvlugt, alt 3000 — 3500 ped. (I, d); *e)* Groenrivier, alt. 2500 ped. (III, A, c); *f)* Zwartkopsrivier, infra 100 ped. alt. (IV, C, c), ubique secus fluvios.

4. PHYSOCARPUS: caule suffrutescente elato, ramis virgatis puberulis, foliis anguste lanceolatis acutis mucronulatis glabriusculis, umbellis axillaribus suboctofloris, coronae laciniis truncatis, angulis utrinque in dentem brevem subreflexum productis, folliculo subgloboso erostri.

a) Ad rivulos prope Glenfilling, alt. 500 ped., *b)* ad fluvium Brakrivier prope Modderfontein, alt. 2500 ped. (V, a); *c)* inter Omsamwubo et Cataractam magnam, alt. 1500 ped. (V, b).

Fructu excepto, antecedenti simillimus.

5? LANATUS: caule suffrutescente elato, ramis virgatis superne umbellisque axillaribus subquadrifloris lanatis, foliis linearibus margine replicatis obtusis, subtus summisque utrinque lanatis, coronae laciniis galeaeformibus, ad medium usque fissis, folliculo ignoto.

a) In collibus asperis prope Hamerkuil, alt. 3000 — 3500 ped. (II, b); *b)* inter Buffelrivier et Cambeboosberg in Uitvlugt alt. 3500 — 4000 ped. (I, d).

LAGARINTHUS.

Corolla quinquepartita subrotata, ad margines undulata. Folliculus plerumque abortu singulus gracilis basi turgidulus rostratus laevis erectus, pedunculo bistorto vel recto. Reliqua Gomphocarpi. Herbae omnes graciliores angustifoliae. Corolla rarissime reflexa, plerumque rotata, nonnunquam concava, mar-

ginibus saepe subundulatis, ita ut folliculus gracilis laevis unicam a Gomphocarpo differentiam absolutam constituat. Quocum si quis conjungeret, vix resisterem. Nomen ab adjectivo *λαγάρως*, gracilis, praecipuum generis characterem exprimit, formatum ad modum Hyacinthi, Erebinthi, Calaminthi, aliorum.

§. 1. **Orthopodes: pedunculo fructifero recto.**

I. FILIFORMIS: caule suffrutescente elato, ramis virgatis albido-lepidotis, foliis angustissimis revolutis filiformibus glabris, umbellis axillaribus sub-12-floris, corolla reflexa, coronae laciniis truncatis, angulis acutis, folliculo albido-lepidoto, demum glabrato.

In planitie prope Zwartbulletje, alt. 2500 ped. (II, d).

Statura fere Gomphocarpi lanati et frutescentis, Folliculus pollicaris.

2. INVOLUCRATUS: caule herbaceo flexuoso-erecto glabriusculo, foliis lanceolato-linearibus, marginibus anguste reflexis, scabriusculis, umbellis terminalibus axillaribusque multifloris, involucrio polyphyllo sericeo deciduo, corolla reflexa, coronae laciniis carnosissimis ovatis, basi subsolutis, apice brevissime bidentatis.

In graminosis a) inter Welgelegen et Onzer, alt. 2000 ped. (IV, B, c); b) in Zurebergen, Adu et prope Geelhoutboom, alt. 1000 — 2500 ped. (V, a); c) ad ostia fluvii Omsamculo (V, b); d) in monte Katberg, alt. 4000 — 5000 ped. (I, a).

Folliculi tripollicares. — Hic et antecedens corolla reflexa et folliculo laevi inter Gomphocarpi et Lagarinthi genera ambigunt.

3. TENUIS: caule herbaceo ad basin ramoso ramisque erectis tenuibus, foliis lineari-subfiliformibus glabriusculis, umbellis terminalibus axillaribusque subquadrifloris, corolla patula, coronae laciniis obovatis longe apiculatis.

In graminosis a) inter Kuga et Zondagrivier, alt. 1000 ped. (IV, C, c); b) Adu, alt. 1000 — 1500 ped. (V, a); c) inter Gekau et Basche, alt. 1500 — 2000 ped. (V, b); d) inter Sehloh et Windvogelberg, alt. 4000 ped. (I, a).

Folliculus pollices $2\frac{1}{2}$ longus, raro geminus.

4. GIBBUS: caule herbaceo ad basin ramoso ramisque ascendentibus hispidulis, foliis linearibus submarginatis calycisque laciniis ad nervum dorsalem hispidulis, umbella terminali 3 — 6-flora, corolla rotata, coronae laciniis tricarinatis dorso gibbis subretuso-truncatis medio longe apiculatis.

α. foliis margine glabris, inferioribus basi subhastato-auriculatis.

β. foliis omnibus basi aequalibus, margine scabris.

In montosis graminosis Witbergen, alt. 6000 ped. (I, a).

Var. *β.* in graminosis inter Omtata et Omsamwubo, alt. 1500 — 2000 ped. (V, b).

Planta spithamaea. Corolla lurida undulata. Folliculus pollices fere $2\frac{1}{2}$ longus. Var. *β.* omnino confluit cum *α.*

5. BREVICUSPIS: caule herbaceo ad basin ramoso, ramisque ascendentibus, linea singula decurrente hispidulis, foliis linearibus marginatis calycibusque glabris, umbella terminali suboctoflora, coronae laciniis truncato-retusis medio brevissime apiculatis, unicarinatis, carina crassa rectiuscula infra apicem abrupta.

Inter Omsamculo et Omcomas, infra 800 ped. alt. (V, c).

Stirps antecedenti simillima, nec tamen, ni fallor, ejus varietas, singulari caulibus ramorumque hispiditate unilaterali, reliquarum partium glabritie, coronaeque forma facile distinguitur. Folliculum etsi non noverim, huc tamen pertinere non dubito.

6. NAVICULARIS: caule herbaceo ad basin ramoso ramisque ascendentibus hispidulis, foliis linearibus submarginatis calycisque laciniis ad nervum dorsalem hispidulis, umbella terminali subsexflora, corolla concava, coronae laciniis ellipticis navicularibus distantibus, dentibus nanis interjectis.

In graminosis *a)* inter Windvogelberg et Zwartkey, alt. 3000 — 4000 ped. (I, a); *b)* inter fluvios Chalumna et Buffelrivier, alt. 1500 ped. (V, b).

Nec hujus fructum vidi; sed totius plantae adhuc major quam antecedentis similitudo est cum *L. gibbi* varietate *β*, a qua, praeter coronam, non nisi flore parum majore corollaeque laciniis minus patentibus differt.

§. 2. **Campylopodes:** pedunculo fructifero bis torto, caule omnium herbaceo.

7. **MULTICAULIS:** caule ad basin ramosissimo ramisque ascendentibus subhispidulis, foliis hastato-lanceolatis acutis glabriusculis, umbella terminali 6 — 9-flora, corolla rotata, coronae laciniis late subovatis, lateribus inflexis, in dentem arretum acutissimum desinentibus.

In graminosis *a)* prope Schiloh, alt. 3500 — 4000 ped. et *b)* Witbergen, alt. 5000 ped. (I, a).

Planta spithamaea. Folliculus sesquipollicaris.

8. **REVOLUTUS:** caule ad basin ramosissimo ramisque erectiusculis scabris, foliis linearibus margine revolutis scabris, umbellis terminalibus axillaribusque subquadrifloris, corolla subflexo-rotata, coronae laciniis lanceolatis infra medium utrinque dente triangulari inflexo auctis.

β. minor: flore fere duplo minore.

In collibus graminosis prope Schiloh, alt. 3500 — 4000 ped. (I, a).

Var. *β.* in planitie graminosa prope Schiloh, alt. 3500 ped. (I, a).

Floris expansi diameter in *α* circiter lineas quinque, in *β* vix tres longus. Folliculus utriusque pollices $2\frac{1}{2}$ longus.

9. **PELTIGERUS:** caule erecto simplice glabriusculo, foliis linearibus elongatis expansis margine revolutis scabriusculis, umbellis in rachi terminali aphylla geniculata alternis pedunculatis subquadrifloris, corolla rotata, coronae laciniis trifidis, lobo medio in peltam semilunarem desinente, lateralibus duplo longioribus oblongis truncatis.

a) Vanstaadesberg in rupestribus, alt. 1500 ped. (IV, C, c); *b)* in graminosis inter Key et Basche, alt. 1000 — 2000 ped. (V, b); *c)* inter Omcomas et Omblas, alt. 500 ped. (V, c).

Caulis bipedalis et longior. Folia speciminum majorum inferiora saepe lanceolato-linearia longissime acuminata. Corollae extus pubescentis lacinae obtusae. Flos expansus 6 — lineas diametro, folliculus circiter lineas 15 longus.

10. EXPANSUS: caule erecto simplice puberulo, foliis linearibus elongatis expansis glabriusculis margine revolutis, umbellis axillaribus terminalibusque, corolla subrotata, coronae laciniis trifidis, lobo medio longissimo lineari recurvato, lateralibus acutatis erectis.

In graminosis prope Kachu, alt. 1500 ped. (V, b).

Nec hujus nec specierum duarum sequentium fructum novi; sed antecedenti hae adeo sunt similes, ut hic referre non haesitaverim.

11. TRUNCATUS: caule erecto simplice glabriusculo, foliis linearibus elongatis expansis margine revolutis supra scabriusculis, umbellis in rachi terminali aphylla flexuosa alternis pedunculatis subquinquefloris, corolla rotata, coronae laciniis truncatis, angulis acutis, medio brevissime apiculatis.

Inter Key et Omtata in graminosis, alt. 1000 — 2000 ped. (V, b).

12. MACER: caule erecto simplice glabro, foliis linearibus elongatis patulis ad margines revolutos subhispidulis, umbellis axillaribus subnovemfloris, corolla patula calycis laciniis ovato-acuminatis brevioribus, coronae laciniis lobo apicali obtuso inflexo et ad basin intruso spurie obcordatis.

In Caffria (V, b vel V, c), loco speciali dubio.

Flores duplo minores quam trium antecedentium. Ab omnibus aliis distinguitur calyce corollam superante, coronaeque laciniis, perinde fere ac Umbelliferarum nonnullarum petala, spurie obcordatis.

13. GRACILIS: caule erecto simpliciusculo foliisque lineariteretiusculis internodio brevioribus erectis puberulis, floribus subternis axillaribus, corolla erectiuscula, coronae laciniis apice tridentatis, dente medio in ligulam subspathulatam incurvatam elongato.

a) In montosis asperis Dutoitskloof, alt. 800 — 2000 ped.

(III, A, e); b) Ado in collibus graminosis, alt. 1000 — 1500 ped., c) inter Boschbergen et Vetkuil, alt. 2500 ped. (V, a);

d) in graminosis inter Omsamculo et Omcomas, alt. 400 ped. (V, c).

§. 3. Species, fructu ignoto, habituque magis peculiari, dubiae, vix tamen non hujus generis, caule omnium herbaceo.

14. LINEARIS: caule simplice ascendente foliisque lanceolato-linearibus erectis margine revolutis calloso-hispidulis, umbella terminali subquadriflora, corollae concavae laciniis margine planis, coronae laciniis lanceolatis canaliculatis, ad basin utrinque in laciniam transversam obtusam dilatatis.

In graminosis inter Zandplaat et Komga, alt. 2500 — 3000 ped. et prope Morley, alt. 1500 ped. (V, b),

Siquidem huc pertinet, flos in genere maximus, ante anthesin globosus diametro quinquelineari, expansus fere pollicari, laciniis tenuioribus planis pallentibus medio quatuor lineas latis. Inter Lagarinthos revolutus proximus, sed omnibus partibus duplo major. Corolla eam Pachycarporum simulat; sed massae pollinis evidenter compressae, apice valde attenuato, nec non folia angusta conjunctioni cum iis obstant,

15. FLEXUOSUS: caule flexuoso-erecto simplice, foliisque lanceolato-linearibus attenuatis brevissime petiolatis basi subtruncatis patentissimis glabris, umbella terminali multiflora, corolla patente, coronae laciniis oblongis obtusis infra medium utrinque unidentatis, dentibus obtusis.

In collibus graminosis inter Omsamculo et Omcomas, infra 800 ped. alt. (V, c).

Caulis bipedalis tenuis, sed neque volubilis neque decumbens. Proxime accedere videtur ad *L. multicaulem*.

16. EUSTEGIOIDES: caule ad basin ramosissimo ramisque ascendentibus puberulis, foliis lanceolato-linearibus attenuatis basi subsagittatis, umbellis axillaribus subquinquefloris, corolla patula, coronae laciniis subgaleatis infra medium utrinque dente arrecto acutissimo auctis.

In montosis asperis Sneeuwbergen, haud procul a Compasberg, alt. 3500 ped. (I, c).

L. multicauli adhuc propior quam antecedens, sed *eustegioides* illo minor, flexuosus major.

17. **CORNICULATUS**: caule ad basin ramoso ramisque ascendentibus glabriusculis, foliis angustissime linearibus elongatis flexoso-erectis glabris canescentibus, umbellis axillaribus brevissime pedunculatis subtrifloris, corolla subcampanulata, coronae laciniis longe acuminatis apice inflexo carinatis supra basin gibbis plicaque transversa utrinque contractis.

a) In collibus graminosis ad Katrivier, alt. 2500 ped. (V, a); *b*) in asperis ad montem Los Tafelberg, alt. 5000 ped. (I, a).

Species habitu peculiari corollaeque forma a reliquis paulo recedit, vix tamen ulli generi propior. Caulis palmaris. Corolla quinquepartita quidem, lacinae vero in formam campanae contiguae, apicibus patentibus, marginibus subundulatis, virentes rugulosae. Coronae lacinae corolla longiores, inferne citrinae, supra plicas transversas atropurpureae. Totus flos lineas tres cum dimidia longus. Fructus ignotus.

18. **INTERRUPTUS**: caule virgato superne ramoso striato, foliisque angustissime lineari-subfiliformibus internodia subaequantibus erectis glabris, fasciculis florum axillaribus alternis subsexfloris, pedunculis floribusque subvillosis, corolla rotata, laciniis oblongis, coronae laciniis obovatis obtusissimis, infra medium dente utrinque inflexo arrectiusculo.

Witbergen, in rupestribus graminosis, alt. 5000 ped. (I, a).

L. gracili haud absimilis, etsi caulis multo major tripedalis. Florum fasciculi frequentissimi racemum foliaceum interruptum simulant. Massarum pollinis apex tenuissimus solito fere longior, de latere flexus.

19. **VIRGATUS**: caule erecto simplicissimo foliisque angustissime linearibus erectis internodia abbreviata superantibus tenuissime puberulis, florum brevissime pedunculorum fasciculis axillaribus alternis, corolla patula (atropurpurea), coronae laciniis ovatis obtuse apiculatis.

In graminosis inter Omgaziana et Fakoskraal, alt. 1000 — 1500 ped. (V, b).

PACHYCARPUS.

Corolla quinquefida patens vel rarius quinquepartita reflexa. Massae pollinis obclavatae, apice compresso suspensae. Folliculus abortu singulus ventricosus vel turgidus septemcostatus, parietibus spongioso-incrassatis, pedunculo bistorto. Reliqua Gomphocarpi. — Herbae ad basin saepe suffrutescentes, foliis latioribus duriusculis. Flores nonnunquam maximi maculati vel subluridi. Folliculus plurimorum ignotus, reliquorum quoad formam et superficiem varius. Praecipuam vero a Gomphocarpo differentiam, praeter habitum, massae pollinis praebent, inferne teretiusculae, nec evidenter compressae, superne complanatae et fere cuneatae, nec in apicem tenuissimum attenuatae. Ipse apex in speciebus magis grandifloris manifesto corneus, minus tamen in parvifloris. Hinc specierum dispositio ab illis ad has profecta satis idonea visa est.

1. **CORONARIUS**: caule robusto erecto simplice subglabrato, foliis infimis ovatis, superioribus oblongo-lanceolatis scabris, margine subcrispatis, floribus axillaribus subgeminatis, corolla patula maculata, coronae laciniis depressis ovato-subcordatis obtusis, marginibus basin versus arrectis, angulis rotundatis.

In collibus graminosis prope Omtata, alt. 1000 — 1500 ped. (V, b).

Caulis bipedalis et ultra. Folia 3 — 4-pollicaria. Corolla diametro bipollicari. Fructum non vidi, sed pedunculi deflorati incrassati bistorti.

2. **GRANDIFLORUS**: caule robusto erecto simplice subglabrato, foliis oblongis scabris, margine planiusculis, floribus axillaribus subgeminatis, corolla semiglobosa maculata, coronae laciniis depressis, basi subtrapezoides, angulis acutis arrectis, apice productis in ligulam elongatam spathulato-lanceolatam planam, supra secus nervum medium tenuissime tomentosam.

Xysmalobium grandiflorum R. Brown. verm. Schr. II pag. 376.

R. et Schult. syst. veg. VI pag. 90.

Inter gramina a) prope Bethelsdorp et Strandfontein, infra 600 ped. alt. (IV, C, c); b) Ado in collibus, alt. 1000 — 1500 ped. (V, a); c) inter Buffelrivier et Omsamcaba, alt. 500 — 2000 ped. (V, b).

Variat foliis subtripollicaribus subattenuatis margine leviter crispatis, et bipollicaribus apice prope rotundatis margine omnino planis. Ab antecedente, cui simillimus, foliis latioribus, corolla minus patente obscuriore, et inprimis coronae forma differt.

3. **CONCOLOR**: caule firmo erecto simplice foliisque ovato-oblongis scabris, floribus axillaribus subgeminatis, corolla concava concolore (utrinque lurido-violacea), coronae laciniis depressis, basi subtriangularibus truncatis angulis acutis arrectis, apice sensim attenuato canaliculato ascendente obtuso.

Locis graminosis *a*) inter Schalumna et Kachu, alt. 1000 — 2000 ped. (V, b); *b*) inter Omsamculo et Omcomas, infra 500 ped. alt. (V, c).

Caulis 1 — 1½ - pedalis. Folia 16 — 20 lin. longa plana, acutiuscula vel etiam obtusissima. Flores fere duplo minores ac antecedentis.

4. **APPENDICULATUS**: caule robusto erecto scabriusculo, foliis ovato-oblongis scabris, floribus axillaribus subternatis, corolla demum reflexa maculata, coronae laciniis basi ascendentibus vaginaeformibus, superius dilatatis in laminam erectam planam crenulatam retusam, appendice angustissime lineari, terminatam, folliculo subgloboso-pyriformi laevi, costis superne subalatis.

In campis graminosis igne combustis inter Morley et Omtata, alt. 1500 — 2000 ped. (V, b).

Habitu ad antecedentem, caractere ad sequentem proxime accedit.

5. **REFLECTENS**: caule flexuoso-ascendente, foliis oblongo-lanceolatis hispidulo-scabris, floribus axillaribus subternatis, corolla reflexa maculata, coronae laciniis basi ascendentibus vaginaeformibus, superius dilatatis in laminam subrotundam crenulatam brevissime et obtuse apiculatam, folliculo pyramidato, costis superne crenato-subalatis.

In graminosis *a*) inter fluvios Vischrivier et Kaprivier, alt. 500 — 1000 ped. (V, a). *b*) inter Kachu et Komga, alt. 1000 — 3000 ped. (V, b).

Caulis vix pedalis, minus firmus atque robustus quam praecedentium. Flos omnino antecedentis, nisi quod coronae lacinae

appendice apicis elongato destitutae sint; cujus varietatem esse crederem, nisi fructus differret.

6. **DEALBATUS**: caule ascendente foliisque lanceolato-oblongis undulatis hispidulo-scabris, umbellis axillaribus brevissime petiolatis subquinquefloris, corolla depresso-campanulata, laciniis supra substantia tectoria dealbatis, coronae laciniis ascendentibus lanceolato-spathulatis medio utrinque unidentatis, folliculo attenuato, costis superne subalatis.

In graminosis *a*) inter Vanstaadesberg et Klaasniemandfontein, alt. 800 ped. (IV, C, c); *b*) prope Buffelrivier alt. 500 — 1000 ped. (V, b).

Differentiis indicatis exceptis, antecedenti simillima.

7. **LIGULATUS**: caule erectiusculo foliisque lanceolato-oblongis subundulatis hispidulo-scabris, floribus axillaribus subternatis, corolla depresso-campanulata concolore, coronae laciniis ascendentibus ligulatis edentulis obtusissimis.

In collibus graminosis asperis *a*) inter Kuga et Zondagrivier, alt. 1000 ped. (IV, C, c); *b*) Znuerebergen, alt. 2000 — 3000 ped. (V, a); *c*) inter Schalumna et Buffelrivier, alt. 1500 ped. (V, b); *d*) inter Schiloh et Windvogelberg, alt. 3500 — 4000 ped. (I, a).

An praecedentis varietas? Sed substantia albida, qua illius corolla intus quasi trullissata est, huic plane deest.

8. **RIGIDUS**: caule robusto erectiusculo glabriusculo, foliis lanceolato-oblongis longe attenuatis acutissimis rigidis subcaescentibus supra glabris nitidulis, margine subtusque scabris, umbellis axillaribus subseptemfloris, pedicellis rigidis brevibus piloso-hispidis, corolla patula concolore, coronae laciniis ascendentibus, inferne linearibus, superne in laminam basi cuneatam apice subsemirotundam ampliatis.

β. tridens: lamina laciniarum coronae apice tridentata, dente intermedio angustiore.

In collibus asperis prope Rietvalei, alt. 5500 ped. (I, a).

Var. *β*. Wildschutsberg, alt. 4500 — 5000 ped. (I, a).

Folia circiter pollices $3\frac{1}{2}$ longa, ad basin pollicem lata. Flores paulo minores quam antecedentium.

9. **VEXILLARIS**: caule erectiusculo foliisque oblongo-lanceolatis hirsutiusculis, umbellis axillaribus hirsutis, inferioribus subtrifloris, summis subsexfloris, corolla patente concolore, coronae laciniis ascendentibus, inferne complicatis utrinque in processum lanceolatum de latere retrorsum falcato-hamatum productis, superne sensim ampliatis in laminam planam tridentatam, dente medio angustiore, (folliculo ignoto).

β. stenoglossus: coronae laciniis superne linearibus (nec ampliatis, nec apice tridentatis), folliculo pyramidato, costis superne alatis.

a) Witbergen, in montosis asperis inter gramina, alt. 6000 ped. (I, a); *b)* in collibus saxosis inter Grootfontein et Ganzekraal, alt. 1500 — 2000 ped. (IV, B, c); *c)* inter Kopje et Zwartkopsrivier, alt. 500 ped. (IV, C, c).

Var. *β.* in montosis graminosis Witbergen, alt. 6000 — 7000 ped. (I, a).

Flos parum major quam antecedentis.

10. **HUMILIS**: caule tenui ascendente ramoso, foliisque lanceolato-oblongis pubescentibus, umbella terminali longe pedunculata subquadriflora, corolla rotata intus albida, coronae laciniis patentibus, basi trapezoideis, angulis acutis arrectis, apice productis in ligulam spathulato-lanceolatam.

Witbergen, in montosis graminosis, alt. 6000 — 7000 ped. (I, a).

Caulis palmaris subfiliformis. Folia vix bipollicaria. Flores diametro semipollicari. Corona ei *P. grandiflori* simillima, sed minus depressa.

11. **ORBICULARIS**: caule robusto erecto simplice glabro, foliis oblongis costato-lineatis margine scabris, umbellis axillaribus multifloris, corolla demum reflexa concolore, coronae laciniis carnosis depresso-orbiculatis columnae appressis.

Inter gramina altiora inter Omsamwuba et Cataractam magnam, alt. 1000 ped. (V, b).

Caulis bipedalis. Folia inferiora quadripollicaria. Floris expansi diameter vix quinquelinearis.

12. GOMPHOCARPOIDES: glaber, caule erecto firmo simplice, foliis lanceolatis longe attenuatis eroso-crispulis, umbellis suboctofloris, corolla rotata demum subreflexa concolore, coronae laciniis oblongis concavis columnae appressis, folliculo compresso subfalcato inter costas seriatim echinulato demum laevigato.

a) In collibus graminosis prope Schiloh alt. 4000 ped. (I, a); *b)* prope Leeuwenfentien, inter Sternbergspruit et Colesberg, alt. 4500 ped. (I, b); *c)* inter Brakrivier et Uitvlugt, alt. 3000 — 4000 ped. (I, d).

Caulis sesquipedalis et quod excedit. Folia inferiora semipedalia ad basin pollicem dimidium lata, superiora sensim breviora et angustiora. Floris expansi diameter vix quadrilinearis. Folliculus pollices $3\frac{1}{2}$ longus, infra medium pollicem latus durus, junior spinis innocuis raris pro maiore parte mox deciduis echinatus.

Hujus loci esse videtur alia species, cujus specimen singulum fructiferum adest, antecedenti quoad caulem et folia simillimum, sed diversum folliculo tereti recto rostrato laevissimo, costis obsoletissimis.

Lectum est inter Sternbergspruit et Colesberg, (I, b).

13. MARGINATUS: caule erecto tenui puberulo, foliis oblongis planiusculis glabris, margine scabriusculis, umbellis axillaribus subsexfloris, corollae laciniis conniventibus reflexo-marginatis, coronae concoloris laciniis erectiusculis, inferne complicatis utrinque in processum lanceolatum acusissimum arrectum productis, superne linearibus canaliculatis apice incurvatis.

In graminosis *a)* prope Galgebosch. alt. 800 ped. (IV, C, c); *b)* Ado, alt. 1000 — 1500 ped. (V, a); *c)* inter Schalumna et Buffelrivier, alt. 1500 ped. (V, b); *d)* Nieuweveld, prope Bokpoort, alt. 3500 ped. (I, d).

Antecedenti haud absimilis, etsi caulis spithama vix longior, folia breviora et latiora, corollaeque lacinae numquam reflexae sint. Margo laciniarum corollae in plurimis quidem speciebus parumper tenuior et plus minusve reflexus est; in nulla tamen evidentior quam in hac.

14. CRISPUS: caule erectiusculo ramoso, foliisque anguste lanceolatis basi subcordato-dilatatis margine crispis hirtis, umbellis axillaribus terminalibusque multifloris, pedunculis folia subaequantibus, corolla reflexa concolore, coronae laciniis ascendentibus oblongis basi utrinque unidentatis, folliculo compresso rectiusculo rostrato pubescente, costis nudis.

Gomphocarpus? crispus R. Brown verm. Schrift. II pag. 376, R. et Schult. syst. veg. VI pag. 88.

a) In planitie arenosa inter Tygerberg et Simonsberg, alt. 200 ped. (III, E, b); *b)* Klein Draakensteen in arenosis, alt. 500 ped. (III, D, a); *c)* Boschkloof, alt. 1000 ped. (III, A, d); *d)* Giftberg in saxosis alt. 1500—2000 ped., *e)* Onderbokveld, alt. 2500 ped. (III, A, c); *f)* circa Zwartkopsrivier, infra 100 ped. alt. (IV, C, c); *g)* Ado in collibus graminosis, alt. 1000—1500 ped. (V, a); *h)* inter Keishamma et Basche, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

Icon Pluckn. tab. 139 fig. 1, a Linnaeo ad Asclepiadem suam pubescentem laudata, a Dryandro, Roberto Brownio auctore, huc ducitur. Differt autem folliculo dense echinulato, et genuinam *Gomphocarpi* speciem mihi ignotam sistere videtur. Cf. *Gomphocarpus arborescens*.

15. ALBENS: caule ad basin ramoso ramisque ascendentibus hispidis, foliis ovatis planis lineato-costatis hispidulis margine scabris, umbella terminali multiflora, corolla reflexa concolore (albente), coronae laciniis erectiusculis truncatis, folliculo compresso subfalcato nervoso, costis superne angustissime alatis.

In graminosis *a)* prope Geelhoutboom, alt. 800—1200 ped. (V, a); *b)* prope Omsamcaba, alt. 500—1000 ped. (V, b); *c)* Witbergen, alt. 5000—6000 ped. (I, a).

Variat foliis ovato-subcordatis vix sesquipollicaribus, et ovato-oblongis basi subattenuatis fere bicollicaribus. Flores iis *Gomphocarpi frutescentis* similes, sed parum minores et albidiores. Folliculus tripollicaris infra medium decem lineas latus extus sublignescens.

16? VIRIDIFLORUS: caule erecto ramoso ferrugineo-puberulo, foliis ovatis subcordatis, summis lanceolatis planiusculis

venosis scabriusculis, umbellis axillaribus terminalibusque multifloris, pedunculis folia superantibus, corolla rotato-subreflexa concolore (sordide virescente), coronae laciniis pseudo-peltatis ovatis profunde fissis biacuminatis, acuminibus versus stigma ascendentibus.

Zuurebergen, ad latera montium septentrionalia, alt. 2500—3000 ped. (V, a).

An hujus generis? Fructus ignotus. Habitus paulo discrepans. Coronae lacinias ita descripsi in diagnosi, ut primo intuitu esse videntur. Revera non peltatae sunt, sed reflexae excisae, margine circumcirca reflexo-complanato, ita ut laminam peltatam sistere videantur. Anguli marginis anterioris longe acuminati stigma versus ascendunt. Hinc fissurae laminarum pseudopeltatarum melius forsitan intelligentur.

XYSMALOBIUM R. Brown.

Corolla quinquefida patula, laciniis intus dense papilloso-barbatis. Corona staminea quinquepartita, sinibus reflexis. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis obclavatae, apice compresso latiusculo suspensae. Stigma depressum muticum. Folliculus abortu singulus ovatus ramentis plumosis dense stipatus, pedunculo bistorto. Semina comosa. — *X. grandiflorum* R. Br. vid. sub *Pachycarpo*.

1. *UNDULATUM* R. BR. l. c. pag. 376. R. et Schult. l. c. pag. 89.

Ad fluvios et rivulos in fruticetis humidis. a) Dutoitskloof et Paarlberg, alt. 1000—2000 ped. (III, A, e); b) Goudinie, alt. 1000—1500 ped. (IV, B, b); c) Nieuweveld et Uitvlugt, alt. 3000—4000 ped. (I, d); d) Glenfilling, alt. 800 ped. (V, a).

CYNOCTONUM

Cynanchi sectio III (et, prout ex descriptione videtur, IV).

Corolla quinquepartita subrotata. Corona staminea simplex, 5-vel 10-fida. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis obclavatae apice attenuato suspensae. Stigma apiculatum. Folliculi graciles laeves reflexae. Semina comosa. — Generis a cel.

Roberto jam indicati characterem principalem massae pollinis apice nec de latere suspensae constituunt. A *Cynancho acuto* Linn., quod hujus generis typus est, eique affinibus differt insuper corona staminea simplice. Nomen antiquum est, *Cynanchi* vel *Apocyni* synonymon apud Dioscoridem.

1. **MOLLE:** hirsutum, foliis cordatis, corona decemfida, laciniis alternis apice tridentatis, dente medio subulato.

a) In graminosis prope Vanstaadesberg, alt. 500—1000 ped. (IV, C, c); b) in asperis prope Doornnek in Zuurebergen, alt. 2500—3000 ped. (V, a); c) Katberg, alt. 4000—5000 ped. (I, a).

Coronae stamineae ideam satis idoneam praebet *Cynanchi crispi* analysis in Jacq. fragm. bot. tab. 34 fig. 5, licet species sit diversissima.

2. PILOSUM.

Cynanchum pilosum R. Brown l. c. pag. 384.

In arenosis prope Saldanhabaai, infra 100 ped. alt. (III, E, b).

3. CRASSIFOLIUM.

Cynanchum crassifolium R. Br. l. c.

Paardeneiland, infra 100 ped. alt. (III, E, b).

4. CAPENSE.

Cynanchum Capense R. Br. l. c.

a) In fruticetis prope Uitenhaag et Kuga, infra 500 ped. alt. (IV, C, c); b) prope Enon, Zondagrivier, Keiskamma et c) Klein Winterhoek, alt. 400—800 ped. (V, a); d) inter Omtendo et Omsamculo in collinis arenosis ad maris littora, (V, c).

Folia hujus maxime variabilia, elliptica, oblonga vel obovata, rarius subcordata. Caulis cum calyce nunc glaberrimus, nunc leviter pubescens. Sed facile cognoscitur corona staminea tubulosa semiquinquefida, folliculisque subulato-pyramidatis.

5. **VIRENS:** glabriusculum, foliis profunde cordatis acuminatis, corona quinquefida, laciniis acuminatis intus ad basin macula incrassata (squamam mentiente) auctis.

- a)* Inter frutices ad ripas fluvii Garip, alt. 4300 ped. et
b) in graminosis inter Windvogelberg et Zwartkey, alt.
 3500—4000 ped. (I, a).

6. LYCIOIDES: glabriusculum, foliis ovato-lanceolatis acuminatis, corona cupuliformi obtuse quinqueloba.

- a)* In fruticetis prope Enon, alt. 400 ped. (V, a); *b)* prope Omtata alt. 500—1000 ped. (V, b); *c)* in rupestribus montosis Zwaanepoelspoort, alt. 3000 ped. (II, e).

RHYSSOLOBIUM.

Corolla urceolata, ad faucem pilosa. Corona staminea summo filamentorum tubo inserta brevissime quinquesinuata carnosae. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis (apice insertae?) pendulae. Stigma depressum. Folliculi turgidi breves corticosi, ad longitudinem rugoso-sulcati. Semina ovata marginata comosa. — Nomen a verbo *ῥυσσοσ*, rugosus.

I. DUMOSUM.

In collibus siccis prope Aris haud procul a fluvio Garip, infra 200 ped. alt. (III, B).

Fruticulus spithamaeus, ramosissimus rigidus pubescenticanus. Folia in apicibus ramulorum opposita, inferius subfasciculata, internodiis duplo breviora crassiuscula, marginibus revolutis, obtusa subsessilia 2—3 lineas longa. Flores 2—3 brevissime pedunculati minimi, calyce incano erecto. Folliculi circiter pollicares, rugis tenuissimis, irregulariter anastomosantibus. Habitu Haemacis (Astephani Massoni R. Brown., de quo infra) refert. Sed corona staminea manifesto adest, folliculorum fabrica longe distat, ramique inermes sunt.

GLOSSOSTEPHANUS.

Corolla quinquepartita subrotata. Corona staminea imo filamentorum tubo adnata profunde quinquepartita, laciniis oblongo-lanceolatis apiculatis planis. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis pendulae, apice attenuato affixae. Stigma pyramidatum emarginatum.

I. LINEARIS.

Apocynum lineare Thunb. fl. cap. II pag. 160 (sed non *Astephanus linearis* R. Brown.).

Ad rivulos et fluvios a) Dutoitskloof alt. 800—1200 ped. (III, A, e); b) Rivierzondereinde et prope Gnadenthal, alt. 400—800 ped. (IV, B, b).

Stirps a Thunbergio optime descripta, corona staminea haud neglecta. Quam ob rem *Astephanum linearem* B. Brown. ab hoc diversum esse oportet. Quis enim coronam illam ab oculatissimo auctore praetervisam esse crederet?

CORDYLOGYNE.

Corolla quinquepartita patula. Corona staminea quinquepartita, laciniis oblongis obtusis intus carinatis. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis apice attenuato suspensae. Stigma longe rostratum apice clavatum compressum. Folliculus abortu singulus laevis gracilis erectus, pedunculo recto. Semina comosa. — Nomen a forma stigmatis clavata.

I. GLOBOSA.

In planitiibus et depressis humidis a) prope Los Tafelberg et Wildschutsberg, alt. 4000—4500 ped. (I, a); b) Slengerfontein, alt. 4600 ped. (I, b); c) Steerkloof, alt. 3500 ped. (I, d).

Herba multicaulis, pedunculis calycibusque exceptis, glabra. Caules simpliciusculi pedales erecti virgati. Folia erecta angustissime linearia marginibus revolutis subbipollicaria. Umbellae subglobosae terminales et axillares longe pedunculatae. Flores vix duas lineas longi luteo-virentes.

SCHIZOGLOSSUM.

Corolla quinquepartita patens. Corona staminea quinquepartita, sinibus nudis vel lacinula minutissima interjecta auctis, laciniis intus ex basi processum adversum ligulatum vel bicurvam stigmati incumbentem exerentibus. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis de latere suspensae. Stigma muticum. Folliculus abortu singulus rostratus, spinis innocuis echinatus erectus,

pedunculo bistorto. Semina comosa. — Herbae erectae pubescentes parviflorae. Corona staminea intus appendiculata massisque pollinis de latere suspensis convenit cum *Cynancho* (*Cynanchi* sectionibus I et II apud R. Brown); differt autem corona profunde partita, processibus ejus elongatis stigmati incumben-
tibus, stigmate non apiculato, folliculis echinatis, totoque habitu. Nomen ex forma coronae petium.

1. **ATROPURPUREUM**: caule virgato simplicissimo molliter pubescente, foliis ovato-oblongis glabriusculis internodia vix aequantibus, summis subhastato-oblongis, coronae laciniis rotundatis, processibus breviter bifidis rectis.

In rupestribus montosis Witbergen, inter gramina altiora, alt. 5000—6000 ped. (I, a).

A reliquis facile distinguitur caule mollius pubescente, foliis praeter nervum medium et margines glabriusculis, umbellis subracemosis, floribusque atropurpureis.

2. **CORDIFOLIUM**: caule ramisque erectis, foliis late ovatis subhastato-cordatis internodia vix aequantibus, coronae stamineae laciniis obtusis bilobis, processibus ultra medium bifidis rectis.

In graminosis Adu et collibus asperis prope Botram, alt. 1500—2000 ped. (V, a).

3. **VIRENS**: caule subsimplice virgato, foliis subhastato-oblongis acutis glabriusculis internodia vix aequantibus, coronae stamineae laciniis subrotundis carinatis, processibus bipartitis retorsum hamatis.

In graminosis inter Omsamcaba et Port Natal, (V, c).

Habitus Sch. atropurpurei, sed flores virentes, ne reliqua repetam.

4. **EUPHORBOIDES**: caule flexuoso-erecto ramoso, foliis anguste spathulato-oblongis obtusis confertis, umbellis subcorymbosis, coronae stamineae laciniis obovatis, processibus bipartitis rectis.

a) In graminosis ad maris littora inter Omtendo et Omsamculo, b) inter frutices inter Omsamculo et Omcomas, alt. 500 ped. (V, c); c) in montosis Dutoitskloof, alt. 2000 ped. (III, A, e).

5. **HAMATUM**: caule erecto simplice, foliis sagittato-linearibus margine reflexis confertis, coronae stamineae laciniis obtusis bilobis, processibus bipartitis retrorsum hamatis.

Ad fluvium quendam minorem prope Omsamcaba, alt. 1500 ped. (V, b).

6. **BIDENS**: caule ad basin ramosissimo, ramisque erectis subfastigiatis, foliis sagittato-linearibus margine reflexis internodia parum superantibus, coronae stamineae laciniis elongatis ovato-acuminatis apice bidentatis, processibus laciniam aequantibus subspathulatis emarginatis.

In asperis graminosis a) Katberg et inter Schiloh et Zwartkey, alt. 4500—5000 ped., b) Los Tafelberg, alt. 5000—6000 ped., c) Windvogelberg, alt. 4000 ped. (I, a).

Quum habitu tum caractere a reliquis parumper recedit, praecipue processibus lacinias coronae minime superantibus, tum radice multicauli.

DAEMIA R. Brown.

1. **GARIPENSIS**: caule suffruticoso volubili caesio glabro, foliis profunde cordatis acuminatis glabris, pedunculis elongatis, corollis fimbriato-ciliatis, folliculis compressis.

In asperis ad fluvium Garip prope Verleptpram, infra 500 ped. ait. (III, B.).

Cf. *D. extensa* R. Brown l. c. pag. 388. R. et Schult. l. c. pag. 113, quae an satis differat nescio.

SARCOSTEMMA R. Brown.

1. **VIMINALE** R. BR.: aphyllum, ramis volubilibus tereti-sculis glabris: umbellis lateralibus multifloris, pedunculis flore longioribus.

In fruticetis a) collium prope Gauritzrivier, alt 1000 ped. (IV, C, b); b) prope Olifantrivier (orient.), alt. 2000—2500 ped. (IV, B, c); c) Ado et Glenfilling, alt. 500—1500 ped. (V, a); d) ad montem prope Graafreynet, alt. 3500 ped. (II, b); e) prope Beaufort, alt. 3000 ped. (II, d).

2. APHYLLUM R. BR.: aphyllum, ramis volubilibus subquadrangulo-compressis glabris, umbellis lateralibus subquadrifloris, pedunculis florem aequantibus.

In fruticetis *a)* inter Zondagrivier et Ada, alt. 400 ped. et *b)* in rupestribus prope Glenfilling, alt. 800 ped. (V, a).

3. OVATUM: fruticosum, ramis recurvatis foliisque ovatis carnosis cano-velutinis, umbellis axillaribus subquadrifloris, pedunculis brevissimis.

In collibus siccis prope Aris haud procul ab ostiis fluvii Garip, infra 200 ped. alt. (III, B).

EUSTEGIA R. Brown.

1. FILIFORMIS R. ET SCHULT.: foliis lineari-filiformibus, coronae laciniis obtusiusculis, stigmatate gibbo emarginato. — R. et Schult syst. veg. VI pag. 120.

In arenosis inter Piquetberg et Krnis, alt. 500 ped. (III, E, a).

2. HUMILIS: foliis lineari-subfiliformibus, supra basin utrinque obsolete unidentatis, coronae laciniis omnibus obtusiusculis, stigmatate pyramidato apice depresso.

In collibus inter Leliefontein et Krakkeelkraal, alt. 3500 4000 ped. (III, A, a).

3. LONCHITIS: foliis lineari-subfiliformibus, supra basin utrinque dente subulato arrecto hastatis, coronae laciniis intermediis subulatis, stigmatate clavato-subquadrangulo.

In collibus inter Paarl et Simonsberg, alt. 500 ped. (III, D, a).

PARAPODIUM.

Corolla quinquepartita subcampanulata, ad faucem coronata squamis quinque rotundatis ante sinus positae utrinque in tubum brevissimum decurrentibus. Corona staminea nulla. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis compressae apice attenuato suspensae. Stigma pyramidale quinquesulcatum, apice obtuso. Fructus ignotus. — Genus Metastelmatis, quantum ex caractere apparet, proximum; sed stigmatate elongato habituque diversum. Herba erecta, foliis pro more oppositis, umbellis vero

alternis nunquam axillaribus, sed inter petiolorum paria lateralibus pedunculatis, unde nomen.

I. COSTATUM.

Loci natales speciales dubii sunt. Occurrit passim in Witbergen (I, a).

Planta, summitatibus exceptis, glaberrima. Folia lanceolato-oblonga acutiuscula plana subcoriacea costata, 3—4 pollicaria, ultra pollicem lata. Flores sordide violacei.

MICROLOMA R. Brown.

1. LINEARE R. BROWN.: foliis linearibus elongatis glabriusculis, calycibus dimidium corollae tubum vix aequantibus pubescentibus, corollae limbo obtusissimo.

In collibus limosis asperis inter frutices *a)* Paarlberg, alt. 500—1000 ped. (III, D, a); *b)* prope Ezelsbank, alt. 2000—3000 ped. (III, A, d); *c)* Giftberg et Onderbokveld, alt. 1500—2500 ped. (III, A, e); *d)* Trado, alt. 1500—2000 ped. (IV, B, c); *e)* Klaasnienmaudfontein, alt. 500 ped. (IV, C, c).

2. SAGITTATUM R. BROWN.: foliis sagittatis subtomentosis, calycibus dimidium corollae tubum aequantibus pubescentibus, corollae limbo acuto.

Variat tum flore rubro et virescente, tum caule folisque sordide tomentoso-hirtis, et —

β tenuissime cano-tomentosis.

In fruticetis asperis *a)* Pietersfontein, alt. 500 ped. (III, D, a); *b)* Groenekloof, infra 200 ped. alt. (III, E, b); *c)* prope Zandberg in Langevlei, alt. 500 ped. (III, E, a); *d)* ad montem prope Geelbeks kraal, alt. 2500—3000 ped. (III, A, a); *e)* inter Karakuis et Goedemanskraal, alt. 2000—3000 ped. (III, B).

Var. β . in collibus asperis prope Koussie et inter saxa prope Zilverfontein, alt. 2000—2500 ped. (III, B).

3. GLABRATUM: foliis sagittatis glabris, calyceibus dimidium corollae tubum aequantibus glabris, corollae limbo acuto.

In collibus asperis inter fruticeta *a)* prope Klaarstroom et *b)* Kendo, alt. 2500—3500 ped. (II, e).

Forsan antecedentis varietas, sed diversa, praeter glabritiem, foliis latioribus, calycibus subcoloratis magis patentibus, totoque flore paulo majore.

4. CALYGINUM: foliis linearibus abbreviatis glabris, calycibus corollam superantibus glabris, corollae limbo acuminato.

a. purpurascens: calyce purpurascente.

β. flavescens: calyce flavescente.

Ad montem prope Goedemanskraal, alt. 2500—3000 ped.

(III, B).

Var. *β.* in montosis asperis prope Geelbeksakraal, alt. 3000—3500 ped. (III, A, a).

HAEMAX.

Astephani sp. R. Brown.

Corolla urceolata, limbo brevissimo, tubo angulato intus circa stamina retrorsum hispido. Corona staminea nulla. Antherae membrana terminatae. Massae pollinis apice attenuato suspensae. Stigma conoideum obtusum integrum. Folliculus abortu singulus gracilis laevis reflexus. Semina comosa. — Fruticuli spinescentes, foliis minutis cordatis caducis. Genus inter *Microloma* et *Astephanum* omnino intermedium, sed ab utroque quum habitu tum caractere distinctum. Nomen a verbo *ἀμάξω*, *cujus radix est ἀμύκος*, acus vel spina.

1. MASSONI: caule glabro, pedicellis calycem aequantibus.

In collibus asperis siccis *a)* Sneeuwbergen, alt. 4500 —

5000 ped. (I, c); *b)* prope Hamerkuil, alt. 3000—3500 ped.

(II, b).

2. DREGÉI: caule tenuissime velutino, floribus subsessilibus.

Inter Pedroskloof et Zilverfontein prope Koussie, alt.

2000—2500 ped. (III, A, a).

Ab antecedente differt insuper internodiis vel triplo longioribus, foliisque majoribus.

ASTEPHANUS R. Brown.

1. FRUTESCENS: caule frutescente volubili foliisque lanceolato-linearibus glabris, cymis brevissimis, stigmatate depresso.

In fruticetis *a*) prope Zwartkopsrivier, alt. 400 ped. (IV, C, c); *b*) ad margines sylvae prope Katrivier, alt. 2500—3000 ped. et *c*) ad Bontjesrivier, alt. 2000 ped. (V, a).

2. **BADIUS**: caule herbaceo volubili foliisque ovato-lanceolatis glabris, cymis capillaribus folium aequantibus, stigmate depresso.

In dumosis ad ripas fluvii Key, alt. 500 ped. (V, b).

Flores badii. An species satis diversa ab *A. lanceolato* R. Brown? Sed descriptio hujus Thunbergiana non quadrat.

3. **PAUCIFLORUS**: caule herbaceo filiformi volubili pubescente, foliis linearibus glabris, umbellis subquadrifloris capillaribus dimidium folium aequantibus, stigmate elongato.

In fruticetis *a*) inter Paarl et Paardeberg, alt. 500 ped. (III, D, a); *b*) inter Langevalei et Kookfontein prope Modderfontein, alt. 400 ped. (III, E, a).

Species hic propositae cum generis caractere exacte congruunt, nec forsan ab ipsius Roberti Brown speciebus differunt. Eo magis vero a speciebus Thunbergianis a cel. Roberto Brown laudatis differre videntur, ab *Apocynis* ejusdem et *lineari* et *lanceolato* et *trifloro*, quibus omnibus nectarium foliola quinque lanceolata inter corollam et stamina germi inserta tribuuntur. Quare valde suspicor, Thunbergium alias stirpes ad *Glossostephani* genus pertinentes descripsisse, alias, easque veros *Astephanos*, cum Banksio quondam communicasse, Browniumque ejusmodi speciminibus nimium credidisse. Quam negligenter enim Thunbergius plantarum suarum speciminibus nomina adscribere solebat, nemo nescit.

Tribus II. **SECAMONEAE.**

Rob. Brown. l. c. pag. 392.

SECAMONE R. Brown.

1. **THUNBERGII**: foliis oblongis obtusis retusisve, cymis folium superantibus.

Periploca Secamone Thunb. fl. cap. II. pag. 153 (non Linnaei).

β. retusa: foliis apice retusis.

In rupestribus a) inter frutices ad montem Paarlberg, alt. 1000—2000 ped. (III, A, e); b) Giftberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, c); c) Znuerebergen, alt. 2000—3000 ped. (V, a).

Var. β . ad fluvium minorem prope Glenfilling, alt. 500—1000 ped. (V, a).

Secamone Alpini R. et Schult. seu Periploca Secamone Linn. ex Aegypto a specie nostra differre videtur: foliis lanceolatis, cymis folio brevioribus.

LABIATAE Juss.

(auctore clo. Benth.)

OCIMOIDEAE.

OCIMUM.

1. (OCIMODON) CANUM SIMS., Benth. lab., β . calycibus magis ciliatis.

Ad ripas fluvii Key, alt. 500 ped. (V, b)

2. (OCIMODON) SERPYLLIFOLIUM FORSK., Benth. lab. 9 et 707.

a) In montosis asperis prope Graafreynet, alt. 3500—4000 ped. (II. b); b) in collibus ad fluvium Klein Vischrivier, alt. 2000 ped. (V, a); c) Sneeuwbergen, alt. 3500—4500 ped. (I, c).

β . glabrior: foliis latioribus minus canescentibus.

O. fruticosum Burch. Cat. Geogr. n. 2160.

In graminosis inter Gekau et Baehe, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

Admodum variat haec planta corolla staminibus dentibusque calycis binis inferioribus modo brevioribus modo longioribus. Dentes calycis laterales, aequae ac in *O. ascendente*, truncati atque ciliati sunt. Filamentorum inferiorum appendices constanter latae pilosaeque sunt. Varietas β nonnisi foliis differt, locoque natali magis umbroso orta esse videtur.

3. (OCIMODON) OBOVATUM E. MEY.: herbaceum? ramis pubescentibus subincanis, foliis late ovalibus obovatisve, junioribus canescentibus, floralibus bracteaeformibus deciduis, racemis paucifloris, calycibus incanis post anthesin nutantibus, dente supremo ovato decurrente, lateralibus truncatis margine ciliato-villosissimis, infimis brevissime setaceo-acuminatis, corollis calyce duplo longioribus, staminibus longe exsertis, superioribus basi appendiculatis.

In collibus prope Omsamculo, infra 400 ped. alt. (V, c).

4. (HIEROCIMUM) **OBTUSIFOLIUM** E. MEY.: caulibus villosis, foliis petiolatis ovalibus obtusis supra hispidulis subtus pubescentibus, floralibus bracteaeformibus sessilibus pedicellum subaequantibus, racemis gracilibus, calycibus pedicello longioribus oblongis nutantibus, intus fauce nuda, dente supremo obovato concavo vix decurrente, corollis calyce dimidio longioribus, staminibus inclusis, filamentis superioribus basi vix pubescentibus.

a) In graminosis haud procul a maris littore inter Omtendo et Omsamculo, *b)* in collibus prope Port Natal, infra 400 ped. alt. (V, c).

Ab *O. sancto* differt calycibus tenuibus longioribus et filamentis superioribus subnudis. **Habitus *O. sancti*. Verticillastri. 2—6 — flori subnudi.**

PLECTRANTHUS.

1. (GERMOREA) **SACCATUS**: caule suffruticoso procumbente, foliis petiolatis subrotundis rhomboideisve basi truncatis grosse dentatis, racemis laxis simplicibus, verticillastris laxe 3—6-floris, calycibus campanulatis, dente supremo ovato acuto, inferioribus lanceolato-subulatis, corollae tubo latissimo basi supra obtuse saccato.

In rupestribus umbrosis prope Omsamwubo, alt. 800 ped. (V, b).

Rami glabriusculi. Folia subpollicaria, dentibus vel lobis 7—11 notata, glabra vel supra pilis brevibus sparsis hispidula, floralia infima subconformia, superiora minuta decidua. Corollae tubus (calcare late obtuso incluso) circiter 6 lin. longus $3\frac{1}{2}$ latus; labium superius latissimum amplum emarginatum, inferius vix brevius oblongum concavum.

2. (GERMOREA) **CILIATUS** E. MEY.: ramis villosis, foliis petiolatis lato ovatis dentatis basi inaequaliter cuneatis, floralibus bracteaeformibus, racemis subramosis, verticillastris laxe sexfloris, calycibus campanulatis, dente supremo ovato acutissimo vix decurrente, inferioribus lanceolato-subulatis, in-

finis longioribus basi connatis, corollae tubo amplo, basi supra obtuse saccato.

Hab. prope Omsamwubo, alt. 500—1000 ped. alt. (V, b).

Habitus folia inflorescentia et calyx *P. fruticosi*, sed rami villosiores et corollae forma potius *P. saccati*, at minor.

Tubus apice contractus.

3. (GERMOREA) FRUTICOSUS HÉR. Benth. lab. 32.

In sylvis Outeniqualand, infra 500 ped. alt. (IV, C, b).

4. (COLEOIDES) LAXIFLORUS Benth. lab. Eckl.: caule

erecto villosa, foliis petiolatis ovatis acuminatis crenatis basi cordatis rugosis aspero-villosis, racemis laxis paniculatis, cymis utrinque pedunculatis trifloris, calycibus declinatis, fructiferis ovatis striatis, dentibus lanceolatis acuminatis subaequilongis, supremo latiore, corolla calyce pluries longiore, tubo decurvo, labio superiori amplo patente, inferiori porrecto concavo.

In vallibus inter frutices a) inter Key et Gekau, b) inter Omtata et Omgeziana, alt. 500—1500 ped. (V, b); c) inter Omsamculo et Omcomas, infra 500 ped. (V, c).

5. (COLEOIDES) COLORATUS E. MEY.: caule pubescente, foliis amplis ovatis crenatis basi inaequaliter angustatis hispidulis, floralibus bracteaeformibus, racemis simplicibus paniculatisve, verticillastris laxe sexfloris, calycibus campanulatis, dente supremo late rotundato, inferioribus lanceolato-subulatis, infimis longioribus, corollae tubo aequali longissimo tenui.

a) In rupestribus umbrosis inter Omgaziana et Omsamwubo, alt. 1000 ped. (V, b); in valle ad marginem sylvae inter Omsamculo et Omcomas, infra 500 ped. alt. (V, c).

Affinis *P. longifloro* sed pluribus notis distinctus. Calyx glaber coloratus. Corolla fere pollicaris, limbo parvo.

6. (COLEOIDES) PETIOLARIS E. MEY.: caule crasso carnosio pubescente, foliis longe petiolatis amplis subrotundatis grosse dentatis basi cordatis glabriusculis floralibus bracteaeformibus rhomboideis, racemo simplici, verticillastris laxe sexfloris, calycis dente supremo ovato acuminato, inferioribus lanceolato-ovatis, corollis calyce multoties longioribus, tubo extra calycem defracto superne dilatato.

In rupestribus umbrosis *a)* prope Sparrboseh, alt. 500 ped, (IV, B, b); *b)* inter Omtata et Omsamwubo, alt. 500—1500 ped. (V, b); *c)* Port Natal, infra 400 ped. (V, c).

Affinis *P. cordifolio* et *subinciso*. Differt praecipue racemis elongatis simplicibus et corollis multo majoribus.

7. (COLEOIDES) **TOMENTOSUS**: caule suffruticoso? erecto tomentoso villosa, foliis petiolatis amplis lato ovatis obtusis grosse crenatis basi rotundatis utrinque tomentoso-villosis, floralibus bracteaeformibus rhomboideis deciduis, racemis paniculato-ramosis, verticillastris laxe sub-10-floris, calycis dente supremo ovato, inferioribus lanceolato-subulatis, corollis calyce 4—5-plo longioribus, tubo ad medium defracto superne dilatato.

In sylvis prope Port Natal, infra 400 ped. alt. (V, c).

Affinis *P. australi* et *parvifloro*. Differt racemis paniculatis, floribus majoribus et foliis magis tomentosis.

8. (COLEOIDES) **THUNBERGII** Benth. lab. 37.

a) In nemorosis Outeniqualand, infra 500 ped. alt. (IV, C, b); in rupestribus inter frutices inter Basche et Morley, alt. 1500 ped. (V, b).

9. (COLEOIDES) **STRIGOSUS** Benth. lab. Eckl. ined.: caule procumbente rufo pubescente, foliis petiolatis rotundatis obscure crenatis carnosiss supra strigoso-hispidis, subtus ad nervos rufo-pubescentibus, racemis simplicibus, verticillastris laxe 4—6-floris, foliis floralibus acutis pedicello brevioribus.

In umbrosis humidis ad Cataractam magnam, alt. 500 ped. (V, b).

Affinis *P. Thunbergii* et *Madagascariensi*. Differt foliis vix crenatis et pubescentia.

10. (COLEOIDES) **HIRTUS** Benth. lab. 38.

a) Vanstaadesrivier, infra 200 ped. alt. (IV, C, c); *b)* Bontjesrivier, ad rivulos, alt. 1500—2000 ped; *c)* in rupestribus ad rivulos prope Glenfilling, alt. 400—800 ped. (V, a); *d)* ad Cataractam magnam, infra 500 ped. alt. (V, b).

Foliorum forma saepe eadem ac in *P. Madagascariensi*, sed minora sunt, racemi graciliores laxiores, calyces minores, corollae majores, tubo apice latiore.

11. (COLEOIDES) MADAGASCARIENSIS Benth. lab. 37.
a) Ad ostia fluvii Omsamcaba et *b)* prope Port Natal,
 infra 400 ped. alt. (V, c).

12. (ISODON) SPICATUS E. MEY.: caule erecto tenuiter pubescente, foliis parvis lato-ovatis basi cuneatis subcarnosis glabriusculis, racemis elongatis simplicibus ramosisve, verticillastris laxiusculis multifloris, calycibus campanulatis subaequalibus, fructiferis elongatis circinatis, corollis calyce 4—5-plo longioribus, tubo medio defracto.

In collibus asperis inter frutices *a)* prope Enon et *b)* Glenfilling in Albany, alt. 500—1500 ped. (V, a).

Floribus *P. lanceolato* affinis; sed foliorum forma diversissima.

13. (PYRAMIDIUM) CALYCINUS: tomentoso-pubescens, caule erecto, foliis ternatim verticillatis subsessilibus ovato-oblongis basi cuneatis rugosis, paniculis densis pyramidatis multifloris, calycibus fructiferis ovato-tubulosis erectis 10-nerviis, dentibus aequalibus acutis.

In graminosis *a)* inter Morley et Omtata, *b)* inter Omsamwubo et Omsamcaba, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

P. ternifolio simillimus. Differt tantum foliis latioribus et calycibus fructiferis 3—4 lin. longis subinflatis venosis. Habitus inflorescentia calyces floriferi et corollae omnino *P. ternifolii*.

OROLLANTHUS.

1. SUAVIS MART. Amoen. bot. monac. 4. t. 2. Benth. lab. 61.

a) In supestribus prope Cataractam magnam, alt. 500 ped. (V, b); *b)* ad ostia fluvii Omsamcaba, (V, c).

SYNCOLOSTEMON E. Mey.

Calyx inflato-tubulosus aequalis vel subincurvus, dentibus quinque aequalibus vel inferioribus longioribus. Corolla tubo recto exserto-bilabiata, labio superiori quadridentato, inferiori integro concavo. Stamina quatuor declinata inferiora longiora.

Filamenta inter se libera edentula (corollae tubo adnata). Antherae oblongae, loculis confluentibus. Stylus apice brevissimus et aequaliter bifidus. — Frutices. Folia parva subcoriacea ad axillas saepius fasciculata. Racemi terminales simplices vel ramosi. Folia floralia bracteaeformia decidua. Calyces saepe colorati.

1. **ROTUNDIFOLIUS** E. MEY.: foliis obovato-subrotundis paucidentatis, racemis paniculatis, calycibus subincurvis glabriusculis coloratis, corollae tubo calyce duplo longiore.

a) In rupestribus inter frutices, inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 500—1000 ped. (V, b); inter Omtendo et Omsamcubo, infra 400 ped. alt. (V, c).

Rami et folia juniora tenuiter cano-tomentosa. Folia semipollicaria. Racemi densi irregulariter ramosi vel dichotomi. Calyces oppositi brevissime pedicellati, fructiferi 5 lin. longi, dentibus nunc brevibus obtusis, nunc inferioribus vel omnibus subulato-acuminatis. Corolla pollicaris, labiis 4 lin. longis.

2. **RAMULOSUS** E. MEY.: foliis obovatis obtusis integerrimis, racemis laxis ramosis, calycibus rectis viscoso-villosis, corollae tubo calyce plus duplo longiore.

a) Inter gramina altiora prope Morley, alt. 1500 ped. et
b) in collibus prope Omsamcaba, alt. 500—1000 ped. (V, b).

Folia vix 3 lin. longa, juniora uti rami tenuiter cano-tomentosa. Rami racemi oppositi. Verticillastri saepius 4-flori. Corolla 10 lin. longa, labiis vix 2 lin. longis.

3. **DENSIFLORUS**: foliis ovatis acutis integerrimis, racemis densis spicaeformibus, calycibus rectis viscoso-villosis, corollae tubo calyce plus duplo longiore.

Inter gramina altiora a) in valle inter Key et Gekau et
b) inter Omsamwubo et Cataractam magnam, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

Folia et rami cano-pubescentia. Foliorum forma et inflorescentia a praecedente satis diversus videtur.

4. **PARVIFLORUS** E. MEY.: molliter villosus, foliis oblongis ovatisve apice serratis, racemis simplicibus, verticillastris bifloris remotis, calycibus rectis viscoso-villosis, corolla tubo vix exserto.

β . Corollae tubo subexserto.

In graminosis inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 1000—1500 ped. (V, b). Var. β . in graminosis prope Port Natal, infra 100 ped. alt. (V, c).

Var. β . forsan species propria est sed exemplar mancum.

HYPTIS.

1. PECTINATA POIT., Benth. lab. 127 var. foliis crassis, subtus albo-tomentosis.

Ad Port Natal (V, c).

MENTHOIDEAE.

MENTHA.

1. LAVANDULACEA WILD. Benth. lab. 170 et 714 var. β . latifolia.

M. Capensis Thunb. fl. cap. 444.

a) Rietvalei prope Witbergen, alt. 5000 ped. (I, a); b) Nieuwjaarsfontein, alt. 3000—3500 ped. (I, d); c) ad fluvium Witrivier prope Enon, d) in dumosis ad fluvium Groot Visch-rivier, infra 400 ped. alt. (V, a); e) ad fluvium Omgaziana, alt. 500—800 ped. (V, b); f) in valle Wupperthal, alt. 1600 ped. (III, A, d).

2. AQUATICA LINN., Benth. lab. 176.

Ad ripas fluviorum et in vallibus a) Bergrivier et Klein Draakensteen alt. 500 ped. (III, D, a); b) Dutoitskloof, alt. 800 ped. et c) Paarlberg alt. 1500 ped. (III, A, e); d) Wupperthal alt. 1500 ped. (III, A, d); e) inter Omsamwubo et Cataractam magnam, alt. 1000 ped. (V, b).

MONARDEAE.

SALVIA.

1. (HYMENOSPHACE) GARIPENSIS E. MEY.: suffruticosa, foliis petiolatis lato-ovatis eroso-dentatis basi truncatis subcordatisve rugosis ramisque viscoso-pubescentibus, verticillastris racemosis bifloris secundis, calycibus amplo campanulatis villosis, labiis membranaceo-dilatatis venosis coloratis, superiori recurvo subtruncato brevissime tridentato, inferiori bifido, dentibus om-

nibus acutis, corollis calyce duplo longioribus, labio superiori falcato compresso.

In rupestribus Verleptpram ad fluvium Garip, alt. 400—800 ped. (III, B).

Affinis *S. rotundifoliae*. Folia more *Marrubii rugosa*, nec coriacea. Corolla *S. paniculatae*.

2. (HYMENOSPHERE) AUREA LINN., Benth. lab. 216.

a) In planitie arenosa prope Groenekloof, infra 200 ped. alt. (III, E, b); *b)* Lauwskloof, in collibus argillaceis, alt. 400 ped. (III, D, a); *c)* Strandveld prope Cap Agulhas et *d)* Driefontein prope Mosselbaai, infra 400 ped. alt. (IV, C, a).

3. (HYMENOSPHERE) NIVEA THUNB. prodr. fl. cap.

a) Vogelvlei et *b)* inter Paardeberg et Riebekkasteel (III, D, a); *c)* inter Piquetberg et Bergvlei, *d)* collibus arenosis prope Ebenazar (III, E, a); ubique inter 400 et 800 ped. alt.

S. aureae affinis. Differt praecipue foliorum forma et floribus minoribus. Tubus corollae calyce saepius longior. Foliorum forma valde variabilis. Thunbergiana ab exemplaribus angustifoliis non discrepat.

Fruticosa ramis subcanescentibus, foliis petiolatis, inferioribus ovato-oblongis basi auriculatis vel inciso-dentatis, superioribus oblongis integerrimis, omnibus crassis subcoriaceis utrinque incanis, racemis brevibus ramosis, verticillastris bifloris, calycibus ample campanulatis villosis, labiis membranaceis dilatatis venosis coloratis, superiori sinuato, inferiori subbilobo, corollis calyce duplo majoribus, labio superiori subfalcato-compresso inferiori breviori patente.

4. (HYMENOSPHERE) HASTAEFOLIA: fruticosa, ramis tenuiter viscoso-pubescentibus, foliis petiolatis ovato-oblongis dentatis basi saepius hastato-auriculatis crassis subcoriaceis, junioribus vix canescentibus, racemis brevibus ramosis, verticillastris bifloris, calycibus ample campanulatis villosis, labiis membranaceo-dilatatis venosis coloratis, superiori sinuato, inferiori bilobo, corollis calyce subduplo majoribus, labio superiori subfalcato-compresso, inferiori breviori patente.

In collibus siccis prope Boschkloof alt. 1000—1500 ped.
(III, A, d).

Rami divaricati non canescentes. Calyces minus villosi, quam in praecedentibus, et folia diversa. Corolla fere *S. diversifoliae*, at tubus brevior.

5. (HYMENOSPHERE) DREGEANA: fruticosa, ramis albidis basi foliosis, foliis brevissime petiolatis oblongis profunde inciso-dentatis pinnatifidisque coriaceis rigidis venosis subtus albis, floralibus deciduis, racemis paniculato-ramosis, verticillastris bifloris, calycibus campanulatis pilis longissimis obtectis, labiis demum membranaceis, superiori breviter tridentato, inferiori bifido, dentibus omnibus acutis, corollis calyce subduplo longioribus.

In arenosis inter Pakhuis et Biedow, alt. 2000 ped.
(III, A, d).

A. *S. albicauli* differt foliorum forma.

6. (HYMENOSPHERE) ALBICAULIS Benth. lab. Eckl.: fruticosa, ramis albidis basi foliosis, foliis breviter petiolatis obovato-rotundatis oblongisve crenatis coriaceis rigidis venosis subtus albidis, floralibus bracteaeformibus parvis acutissimis, racemis paniculato-ramosis, verticillastris bifloris, calycibus campanulatis pilis longissimis obtectis, labiis demum membranaceis superiori breviter tridentato, inferiori bifido, dentibus omnibus acutis, corollis calyce subduplo longioribus.

β . ramis basi foliisque inferioribus hispidis.

Locus specialis incertus.

Folia fere *S. Africanae*, sed majora; et differt foliis superioribus remotis, racemis paniculatis et calycibus.

7. (HYMENOSPHERE) AFRICANA LINN. Benth. lab. 216.

β . *obtusa*.

a) Paardeneiland, infra 100 ped. alt. (III, E, b); b) Hot-tentottsholland in collibus, alt. 400 ped.; c) Riebekkasteel, alt 600—1000 ped. (III, D, a).

Var. β . prope Paarl: alt. 800 ped. (III, D, a).

8. (HYMENOSPHERE) CRISPULA: fruticosa, ramis vix pubescentibus paniculatis, foliis parvis petiolatis obovato-subrotundis eroso-dentatis undulato-crispis, junioribus vel omnibus

incanis, floralibus sessilibus rotundatis calyce vix brevioribus, racemis vix ramosis, verticillastris 2—6-floris, calycibus campanulatis pubescentibus vel breviter villosis, labiis demum membranaceo-dilatatis, superiori breviter tridentato, inferiori bifido, dentibus omnibus obtusis, corollis calyce duplo longioribus, labio superiori vix incurvo, inferiori amplo patente.

a) Prope Uitkomst, alt. 2000 ped. (III, C); *b)* in rupestribus ad montem Modderfonteinsberg, alt. 400 ped. (III, A, a).

Affinis *S. Africanae*, sed foliis et calycibus satis distincta videtur.

9. (HYMENOSPHACE) PANICULATA LINN. Benth. lab. 217.

a) In arenosis inter Pakhuis et Biedow, alt. 2500 ped. (III, A, d); *b)* inter Slangenhuivel et Waaihoek, alt. 800 ped. (IV, B, b).

10. (HYMENOSPHACE) DENTATA AIT. Benth. lab. 217.

In montosis asperis siccis prope Wupperthal, alt. 2000 ped. (III, A, d).

11. (PLETHYOSPHACE) RUGOSA THUNB., Benth. lab. 235.

a) Karakuis, in alveo fluvii exsiccati, alt. 1500—2000 ped. (III, B); *b)* Slengerfontein, in rupestribus, alt. 4500—5000 ped. (I, b); *c)* prope Brandfontein in Winterveld, alt. 3000—4000 ped. (I, d).

12. (PLETHYOSPHACE) CLANDESTINA LINN., Benth. lab. 240.

Prope Steerkloof, alt. 3500—4000 ped. (I, d).

13. (HETEROSPHACE) RUDIS Benth. lab. Eckl.: caule

herbaceo erecto hispido, foliis brevissime petiolatis oblongis integris margine eroso-dentatis crispis, inferioribus basi hastato-truncatis cordatisve rugosis hispidis, floralibus late-ovatis acutis, racemis simplicibus, verticillastris subsexfloris, calycibus brevissime pedicellatis hispidis, labio superiori truncato, dentibus subulatis, inferioris dentibus lanceolato-subulatis, omnibus acutissimis, corollis calyce dimidio longioribus, tubo amplo.

Inter Omsamculo et Omcomas, alt. 400—800 ped. (V, c).

14. (HETEROSPHERE) SYLVICOLA BURCH., Benth. lab. 304.
In locis umbrosis humidiusculis a) prope Ruigtevalei,
infra 300 ped. alt. (IV, B, b); b) inter Key et Basche, alt.
1000—1500 ped. (V, b).

15. (HETEROSPHERE) TRIANGULARIS THUNB. prodr. fl.
cap. 96.

S. tenuifolia Burch. Benth. lab. 304.

In sylva prope Enon, alt. 1000—1500 ped. (V, a).

16. (HETEROSPHERE) MARGINATA: caule herbaceo adscen-
dente glabro ramoso, foliis petiolatis ovalibus obtusis sinuato-
dentatis subincisisve, vel inferioribus lyratis, margine ad nervos
petiolisque ciliatis, faciebus glabris, racemis simplicibus ramo-
sisque, verticillastris sexfloris secundis, calycibus pedicellatis
tubuloso-campanulatis subcoloratis subscabris, labio superiori
late truncato, dentibus subulatis, inferioris dentibus late lanceo-
latis subulato-acuminatis, corollis tenuiter pubescentibus, calyce
subduplo longioribus.

In collibus a) inter Kuga et Zondagrivier et b) Ado, alt.
400—1000 ped. (V, a).

S. obtusatae (quam in coll. Eckloniana vidi) convenit
caule glabro et foliis ciliatis, differt foliorum forma, verticilla-
stris multifloris et aliis notis.

17. (HETEROSPHERE) SCABRA THUNB., Benth. lab. Eckl.,
nec Ejusd. lab. gen. et spec.: caule herbaceo erecto ramoso
scabro-pubescente, foliis petiolatis lyrato-pinnatifidis vel supe-
rioribus subintegris, lobo extimo late ovato, lateralibus oblongis,
omnibus eroso-dentatis utrinque scabro-pubescentibus subtus sub-
canescentibus, racemis simplicibus subramosisve, verticillastris
sexfloris, calycibus ovato-campanulatis pubescentibus, labio su-
periori truncato tridentato, inferiori bifido, dentibus omnibus
subulato-acutissimis, corollis pubescentibus calyce duplo lon-
gioribus.

β? *angustifolia*: foliis caulinis oblongis minus incisis. An
species propria? Habitu quodammodo *S. sylvestrem*
refert.

a) In asperis ad fluvium minorem inter Gekau et Basche, alt. 1000—1500 ped. (V, b); *b)* prope Steelkloof, alt. 3500—4000 ped. (I, d).

Var. β . *a)* in rupestribus prope Slengerfontein, alt. 4500—5000 ped. (I, b); *b)* inter Waschbank et Rietpoort, alt. 3500 ped. (I, d).

18. (HETEROSPHERE) AURITA THUNB., Benth. lab. 305.

a) Vanstaadesrivier et *b)* Port Elizabeth, infra 400 ped. alt. (IV, C, c).

19. (HETEROSPHERE) SUBSESSILIS: herbacea, caulibus basi repentibus, floriferis erectis simplicibus hirtis, foliis subsessilibus oblongis obovatisve obtusis eroso-dentatis basi angulatis vix lobatis rugosis sparse hispidis, floralibus lato-ovatis acuminatis, calyce brevioribus, racemo simplici, verticillastris sexfloris, calycibus campanulatis declinatis pilosis, labio superiori subtruncato tridentato, inferiori bifido, dentibus omnibus subulato-acutissimis, corollis glabriusculis calyce duplo longioribus, tubo amplo.

Prope Omsamwubo, alt. 500—1000 ped. (V, b); Zuurebergen, in asperis inter frutices, alt. 2000—3000 ped. (V, a).

Habitu ad *S. lyratam* accedit. Flores fere *S. monticolae*.

20. (HETEROSPHERE) RUNCINATA THUNB., Benth. lab. 305.

β . *crispa*.

S. scabra Benth. lab. 305 (non Thunb.)

Nieuweveld, in rupestribus, alt. 3500—4000 ped. (I, d).

21. (HETEROSPHERE) RAPHANIFOLIA: caule herbaceo erecto villosa, foliis inferioribus petiolatis lyrato-pinnatifidis, lobo ultimo ovato-oblongo saepius auriculato-hastato, caeteris ovatis, foliis superioribus sessilibus basi hastatis, omnibus obtusis eroso-dentatis rugosis pubescentibus, racemis ramosis, verticillastris sub-10-floris, calycibus brevissime pedicellatis ovatis villosis, labio superiori truncato breviter tridentato, inferiori bifido, dentibus omnibus acutis, corollis calyce duplo longioribus.

In valle prope Windvogelberg, alt. 4500 ped. (I, a).

Habitu quodammodo *S. verticillatam* refert. Folia inferiora fere *S. incisae*, sed majora latiora, superiora integriora; et villositate floribusque abunde distinguitur.

22. (HETEROSPHERE) *STENOPHYLLA BURCH.*, — Benth. lab. 306.

a) Prope Rhinosterkop, alt. 3000 ped. (II, d); *b)* Katrierspoort, in graminosis alt. 2000 ped. (V, a).

Corollae vix 4 lin. longae.

23. (HETEROSPHERE) *MONTICOLA Benth.* lab. Eckl.: caule herbaceo erecto scabro-hispido ramoso, foliis oblongis pinnatifidis, segmentis numerosis oblongis, extimo majori, omnibus obtusis margine eroso dentatis crispis utrinque viridibus glabriusculis vel scabro hispidis, racemis subramosis, verticillastris subsexfloris, calycibus ovato-campanulatis hispidulis, labio superiori truncato tridentato, inferiori bifido, dentibus omnibus subulato-acutissimis, corollis calyce plus duplo longioribus pubescentibus, labiis aequilongis, superiori erecto subfornicato, inferiori patente.

In graminosis *a)* Blesbokvlakte, alt. 4000 ped. (I, a); *b)* Zunnerebergen, alt. 2000 ped. (V, a); *c)* inter Gekau et Basche, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

Habitus *S. stenophyllae*, sed ab omnibus differt corollae tubo ampliore, labiis profundioribus.

STACHYDEAE.

STACHYS.

1. (STACHYOTYPUS?) *NIGRICANS*: caule herbaceo erecto pilis longis hispido, foliis sessilibus oblongo-lanceolatis obtusis crenatis basi subeordato-amplexicaulibus, floralibus acutis calyce brevioribus, verticillastris subsexfloris remotis, calycis campanulati hispidi dentibus lanceolatis subulato-acutissimis subspinosis, corollis leviter pilosis calyce 2—3-plo longioribus.

In graminosis *a)* inter Omtata et Omsamwubo, alt. 1000—2000 ped. (V, b); *b)* inter Omsamculo et Omcomas infra 500 ped. (V, c).

—Affinis hinc *S. hyssopifoliae* inter Genuinas, hinc *S. humifusae* inter Ruderales, vel *S. Ibericae* in sectione Chamaesideritidis; sed ab omnibus characteribus datis facile distinguenda. Tota siccitate nigrescit.

2. (STACHYOTYPUS) GRANDIFOLIA E. MEY.: caule herbaceo adscendente ramoso piloso, foliis petiolatis ovatis obtusis crenatis basi late cordatis utrinque molliter villosis subtus canescentibus, floralibus sessilibus calycem aequantibus vel superantibus, verticillastris sexfloris remotis calycibus campanulatis hispidis, dentibus lanceolatis acutissimis spinosis, corollis pubescentibus calyce dimidio vel vix duplo longioribus.

a) In dumosis ad fluvium minorem inter Omtata et Omgaziana, b) inter Omsamwubo et Cataractam magnam, alt. 800—2000 ped. (V, b).

S. Macraei simillima; et vix differt corollis et praesertim labio inferiori minoribus, foliis majoribus plerisque latioribus. *A. S. Aethiopica* differt habitu, foliis molliter villosis, et aliis notis.

3. (STACHYOTYPUS) SESSILIFOLIA E. MEY.: herbacea adscendens tota molliter albo-villosa, foliis inferioribus breviter petiolatis, superioribus sessilibus ovatis obtusis crenatis basi subcordatis, floralibus supremis calyce vix brevioribus, verticillastris subsexfloris, calycibus molliter villosissimis, dentibus longe subulato-acuminatis subspinosis, corollis calyce vix duplo longioribus.

Inter gramina altiora inter Omsamwubo et Cataractam magnam, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

Similis *S. Bridgesii*; sed potius villosa quam lanata, et calycibus diversa.

4. (STACHYOTYPUS) AETHIOPICA LINN., Benth. lab. 548.

β. *hispidissima*.

γ. *grandiflora* Burch.

a) In fruticetis ad montem Tafelberg, alt. 1000—2000 ped. (III, A, e); b) in graminosis prope Gekau, alt. 1000 ped. (V, a); c) in valle prope Glenfilling, alt. 400—800 ped.,

d) in collibus fructosis prope Katrivier, alt. 1500—2000 ped. (V, a); *e)* Steelkloof, alt. 3000—4000 ped. (I, d); *f)* in collibus asperis prope Onzer, alt. 1500—2000 ped. (IV, B, c); *g)* Klaasniemandfontein, alt. 500 ped. (IV, C, c).

Var. β . in collibus ad Hexrivier, alt. 1200—1500 ped. (IV, B, b).

Var. γ . Klein Winterhoek, alt. 800 ped. (V, a).

5. (**STACHYOTYPUS**) **SUBSESSILIS** BURCH. Benth. lab. 548.

a) Prope monumentum ad Port Elizabeth, (IV, C, c); *b)* in planitie graminosa prope Glenfilling, alt. 800 ped. (V, a); *c)* in graminosis prope Kachu, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

6. (**STACHYOTYPUS**) **SERRULATA** BURCH. Benth. lab. 549.

In rupestribus Paarlberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e).

7. (**AMBLEIA**) **HYSSOPOIDES** BURCH. Benth. lab. 558.

In locis depressis et ad fontes *a)* Leeuwenspruit alt. 4500 ped. (I, a); *b)* Sneeuwbergen, alt. 4500—5000 ped. (I, c); *c)* prope Brakrivier Nieuweveldiae, alt. 3500 ped. (I, d).

8. (**AMBLEIA?**) **MACILENTA** E. MEY.: perennis vel suffruticosa? ramis adscendentibus glabris basi foliosis, foliis linearibus oblongisve integerrimis vel apice denticulatis basi longe angulatis utrinque glabris, floralibus supremis calyce brevioribus, verticillastris sexfloris remotis, calycis subcanescentis dentibus breviter setaceo-mucronatis, corollis calyce subduplo longioribus.

In planitie graminosa prope Schiloh, alt. 3500 ped. (I, a).

S. caeruleae simillima, at glabrior et verticillastri pluriflori. An ejus varietas?

S. hyssopoides macilenta et *coerulea* inter *Chamaesideritides* et *Ambleias mediae* sunt.

9. (**AMBLEIA**) **SPATHULATA** BURCH. Benth. lab. 559.

In graminosis prope Schiloh, alt. 3500 ped. (I, a).

10. (**AMBLEIA**) **DREGEANA**. suffruticosa floccoso-tomentosa, foliis oblongo-linearibus spathulatisve apice subdentatis rugosis crassis utrinque floccoso-tomentosis, floralibus inferioribus conformibus, supremis calycem subaequantibus, verticillastris plerisque bifloris, bracteis parvis, calycibus tubuloso-campanulatis, dentibus lanceolatis acutis tubo suo vix brevioribus, corollis dentes calycinos breviter excedentibus, tubo incluso.

a) In collibus siccis prope Gaatje, alt. 5000 ped.; *b)* Wildschutsberg, alt. 5000—6000 ped. et *c)* in summo monte Witbergen, alt. 7000—8000 ped. (I, a).

Affinis *S. deserti* et *S. rugosae*.

11. (AMBLEIA) FOLIOSA Benth. lab. Eckl.: suffruticosa cano-tomentosa, foliis oblongo-linearibus basi angustatis, inferioribus petiolatis apice subdentatis, superioribus subsessilibus integerrimis, omnibus utrinque cano-tomentosis subtus rugosis, verticillastris sub-6-floris distantibus, bracteis subulatis calyce brevioribus, calycibus tubuloso-campanulatis cano-tomentosis, dentibus lanceolatis acutiusculis muticis, corollis calyce subduplo longioribus.

In montosis Sneeuwbergen prope Zeekoerivier, alt. 5000 ped. (I, c).

Affinis *S. rosmarinifoliae* et *S. rugosae*.

12. (AMBLEIA) RUGOSA AIT. Benth. lab. 559.

β. longiflora: corollae tubo exerto. An species propria?

a) Prope Uienvalei, alt. 2500 ped. (III, A, c); *b)* Nieuweveldsbergen, alt. 3500—4000 ped. (II, d); *c)* in monte prope Bokpoort Nieuweveldiae, alt. 4500 ped. (I, d).

Var. *β.* in rupestribus prope Modderfontein inter Kwek-rivier et Uitkomst, alt. 1600 ped. (III, C).

13. (AMBLEIA) FLAVESCENS Benth. lab. Eckl.: suffruticosa tota flavo-tomentosa, foliis oblongis integerrimis basi angustatis crassiusculis utrinque tomentosus, floralibus flores aequantibus, verticillastris bifloris. supremis approximatis.

Prope Krakkeelkraal, alt. 3500—4000 ped. (III, A, a).

* * *

Hoc loco schedulae duae manuscriptae, ad nos non per-ventae, desunt, nec, durante clarissimi auctoris itinere, restitui possunt.

* * *

LASIOCORYS.

1. CAPENSIS Benth. lab. 600.

Ad fluvios *a)* Verschfontein, alt. 2500 pud. (II, c); *b)* Zondagrivier, infra 400 ped. (IV, C, c); *c)* inter Ado et Zon-

dagrivier, alt. 500 ped. et *d*) prope Kookhuis ad Vischrivier, alt. 2000 ped. (V, a).

LEUCAS.

1. MARTINICENSIS R. BR. Benth. lab. 617.

In fruticetis inter Omcomas et Omblas infra 500 ped. alt. (V, c).

LEONOTIS.

1. OVATA SPR. Benth. lab. 619.

a) In collibus asperis inter Stormvalei et Hassaquiaskloof alt. 400—800 ped. (IV, B, b); *b*) in asperis montosis prope Onzer, alt. 1500—2000 ped. (IV, B, c); *c*) in collibus graminosis inter Vanstaadesberg et Klaasniemandfontein, alt. 800 ped. (IV, C, c).

2. MOLLIS: foliis lato-ovatis utrinque cauleque molliter villosa-tomentosis, calycis dentibus omnibus spinosis, supremo maximo ovato-lanceolato, corollis calyce villosa duplo longioribus.

In montosis *a*) Nieuweveldbergen prope Beaufort, alt. 3000—4000 ped. (II, d); *b*) Ado, alt. 1000 ped. et *c*) Zaurebergen, alt. 2000—3000 ped. (V, a).

3. DYSOPHYLLA: foliis ovato-lanceolatis dentatis utrinque mollissime villosis, calycibus villosis, dentibus omnibus spinosis, supremo maximo ovato, corollis calyce subtriplo longioribus.

a) Inter Omsamwubo et Cataractam magnam, alt. 1000—2000 ped. (V, b); *b*) in depressis humidis graminosis inter Omsamculo et Omcomas, infra 400 ped. alt. (V, c).

A L. intermedia foliis et calycibus diversa.

4. DUBIA E. MEY.: foliis late ovatis ramisque subcanescentibus, dente calycis supremo ovato spinescente, inferioribus omnibus brevissimis muticis; corollis calyce suptriplo longioribus.

L. parvifolia Benth. lab. 619. (e specime manco descripta).

a) In dumosis ad fluvium Witrivier prope Enon, alt. 400 ped. (V, a); *b*) ad fluvium Buffelrivier, alt. 400—800 ped. et *c*) in collibus graminosis prope Omsamwubo, alt. 1000 ped. (V, b).

Nomen a Meyero datum accepi, quoniam, quod ipse ego plantae dederam, non omnibus speciminibus aptum est.

5. **LEONURUS R. BR. Benth. lab. 620.****Wilde Dakka incol.****β. flore albo.**

a) Paardeneiland, infra 100 ped. alt. (III, E, b); *b)* Paarlberg, alt. 1500 ped. (III, A, e); *c)* Zuurebergen, alt. 3000 ped. (V, a); *d)* inter Zandplaat et Komga, 2000—3000 ped. et *e)* prope Omsamwubo 500—1000 ped. alt. (V, b); *f)* inter gramina altiora in collibus inter Omsamculo et Omcomas, alt. 500 ped. (V, c).

Var. **β.** *a)* in Hexrivier ad villam De Vries, alt. 1200 ped. (IV, B, b); *b)* Strandveld, inter Potberg et Cap Agulhas, infra 400 ped. alt. (IV, C, a).

AJUGOIDEAE.**TEUCRIUM.****1. CAPENSE THUNB. Benth. lab. 667.**

Zuurebergen, ad rivum Bontjesrivier, alt. 1800 ped. (V, a).

2. AFRICANUM THUNB. Benth. lab. 669.

a) Ad fluvium Buffelrivier in Uitvlugt, alt. 3000 ped. (I, d); *b)* in monte Camdeboosberg, alt. 4000—5000 ped. (II, b); *c)* prope Rhinosterkop, alt. 3000 ped. (II, d); *d)* Zwaa-nepoelspoort, in dumosis, alt. 2000 ped. (II, e); *e)* in montosis graminosis prope Enon, alt. 1000—1500 ped. (V, a).

AJUGA.**1. OPHRYDIS BURCH. Benth. lab. 695.**

In montosis graminosis *a)* Zuurebergen et *b)* prope Katrivier, alt. 1500—3000 ped. (V, a); *c)* inter Zandplaat et Komga, 2000—3000 ped. alt. (V, b); *d)* Windvogelberg, alt. 4000—5000 ped. (I, a).

ECHINOSTACHYS

(auctore E. Meyer).

Flores dense spicati. Calyx subaequalis quinquefidus, tubo brevi campanulato decemcostato, limbi laciniis longe aristatis patentibus. Corolla bilabiata, tubo cylindrico torto ad faucem geniculato - resupinata. Labium superius fornicatum; inferius

duplo brevius divaricatum cuneato-subquadratum apice quadridentatum bicarinatum. Stamina didynama labio superiori longiora; filamentis edentulis, antheris peltatis ovalibus, thecis confluentibus. Stylus inter stamina longiora; stigmatibus breviter bifido. Achaenia quatuor laevissima cartilaginea. — Novum, ni fallor, Labiatarum genus cum cl. Benthamico, cum forte in alium plantarum ordinem irrepserit, non communicatum. Hoc nomine ad interim proposui, nescius, utrum ex alio quodam herbario cl. Benthamico jam innotuerit et ab eo descriptum sit, nec ne.

1. RETICULATA.

In graminosis humidis prope Port-Natal; infra 100 ped. altit. (V, c).

Caulis herbaceus 2—3-pedalis et altior superne paniculatum ramosus, tetragonus, faciebus profunde canaliculatus, ungue terrissime ferrugineo-tomentosus. Folia appositae lanceolato-oblonga in petiolum decurrentia subacuminata, inaequaliter dentato-serrata, serraturis obtusiusculis tenuissime tomentosa, subtus elegantes albido-reticulata, 3—4 pollices longa, medio 10—14 lineas lata. Spicae in ramulis subaphyllis terminales ovatae, demum oblongatae 2—3-pollicares calycum aristis quasi echinati. Bractae tres flori subjectae calyce parum breviores basi lanceolatae, apice aristatae, aequae ac calyces hirtae. Corolla fere Stacheos sylvaticae, extus tenuissime pubescens sub labio inferiori barbata, barba caerulescente.

SELAGINEAE Juss.

Choisy, mém. sur la famille des Selaginées, in Mém. d. l. Soc. d. Ph. et d'H. N. de Genève, Tom. II, 1823, pag. 71 sqq.

POLYCENIA Choisy.

Calyx antice fissus. Corolla, limbo antice fissio quadrilobo, unilabiata. Stamina didynama brevissima marginibus labii affixa. Achaenia duo inter se aequalia serius secedentia pseudo-trilocularia, loculamentis spuriiis lateralibus inanibus.

1. CORDATA: caule fruticuloso ascendente, ramis subumbellatis, foliis cordatis integerrimis subcarnosis, achaeniis subalato-marginatis. — Choisy. l. c. pag. 93.

Hebenstreitia cordata Linn.

In collibus arenosis *a*) ad ostia fluvii Garip (III, B); *b*) ad maris littora prope Port Elisabeth (IV, C, c).

2. FRUTICOSA: caule fruticuloso erecto, ramis sparsis, foliis lanceolatis dentatis glabris decurrentibus, bracteis ovatis apiculatis, fructu subgloboso-ovato sexsulcato, apice mamillari.

In montosis rupestribus umbrosis prope Gnadenthal, alt. 1000—2000 ped. (IV, A).

Loculamenta carpellorum vera spuriiis longiora sulcisque profundis ab illis discreta papillam fructus constituunt. Cf. *Hebenstreitia fruticosa* Th.

3. LANCEOLATA: caule subherbaceo erecto simpliciusculo, foliis lanceolatis dentatis non decurrentibus, bracteis lanceolatis acuminatis, fructu elliptico-oblongo multistriato mamilla apicali destituto.

a. caule foliis bracteisque hirtellis.

β. glabrata: bracteis glaberrimis, caule foliisque plus minusve glabratis.

a) Piquetberg, in montosis asperis alt. 1500—2000 ped.,

b) (forma inter var. *a* et *β* intermedia) in montosis asperis Piquetberg, alt. 2000—3000 ped. (III, A, d).

Var. *β. a*) in arenosis prope Groenevalei, infra 100 ped. alt. (IV, C, b); *b*) Port Natal infra 100 ped. alt. (V, c).

Ab autecedente certe diversa. Caulis crassior, sed magis herbaceus atque flexuosus. Folia plerumque majora, saepe fere sesquipollicaria, laxiora, dentibus magis inaequalibus, ad basin magis attenuata, sed neutiquam decurrentia. Bractee angustiores longioresque. Fructus denique loculamenta exterius vix indicata.

4. **HEBENSTREITIOIDES CHOIS.**: caule diffuso herbaceo, foliis linearibus subdenticulatis glabris, summis apice tridentatis, bracteis ovatis obtuse apiculatis, fructibus subgloboso-didymis apiculatis. — Chois. l. c. pag. 91. tab. 2. fig. 1.

In arenosis *a*) inter urbem et Duikervalei, infra 100 ped. alt. (III, E, b); *b*) inter Kampsbaai et Tafelberg, alt. 500—1000 ped. (III, D, b); *c*) Agter de Paarl, inter frutices, alt. 600 ped. (III, D, a).

Ab *Hebenstreitia tenuifolia* Schrad., quacum dubitanter conjunxit cl. Reichenbach, toto coelo differt. Icon laudata plantam minorem sistit; majores multo magis diffusae sunt, foliaque praebent inferiora longiora et tenuiora, nunc subintegerrima, nunc vage denticulata.

5. **FENESTRATA**: caule erecto herbaceo, foliis linearibus remote denticulatis glabris, bracteis ovato-lanceolatis obtusiusculis, fructu ovato acutiusculo quadrisulcato ad commissuram submarginato, loculamentis spuriis ventre medio incompletis.

In planitie arenosa prope Duikervalei, infra 100 ped. alt. (III, E, b); prope Paarl 400—800 ped. alt. (III, D, a).

Species carpellis fenestratis inter *Polycenias* et *Hebentretias* ambigit.

HEBENSTREITIA Linn.

Flos antecedentis. Achaenia duo inaequalia serius secedentia, pericarpio farcto, posterius saepius abortivum anteriori incumbens.

1. **ROBUSTA**: caule fruticoso erecto, foliis lineari-lanceolatis subintegerrimis, corollae laciniis oblongis, lateralibus latioribus subfalcatis, antheris caeruleis, fructu subgloboso, carpello posteriori naviculari, anteriori quinquesulcato.

α. caule foliis bracteisque canescenti-hirtis.

β. glabrata: caule rachique hirtellis, foliis bracteisque glabris.

In arenosis inter Jakhalsrivier et Olifantrivier, alt. 500—1000 ped. (III, E, a).

Var. *β. a)* in arenosis inter Pikenierskloof et Pretoriskloof, alt. 1500 ped. (III, E, a); *b)* in montosis asperis prope Zuureplaats, alt. 5000 ped. (I, c); *c)* locis siccis montium prope Beaufort, alt. 3000—4000 ped. (II, d).

Species distinctissima, *H. dentata* e proxima, sed multo major atque robustior. Fructus pisum minorem adaequans. Color antherarum caeruleus huic soli competit, nisi specimina quaedam manca herbarii Dregeani corollae laciniis subaequalibus linearibus speciem propriam huic proximam constituunt.

2. FRUTICOSA (THUNB.?) SIMS.: multicaulis, caulibus suffruticosis ascendentibus, foliis linearibus dentato-pinnatifidis recurvatis glabris, bracteis infimis foliaceis, superioribus ovatis, corollae laciniis intermediis linearibus, lateralibus subaequilongis oblique ovatis, fructu oblongo, carpello posteriori subnaviculari, anteriori quinesulcato. — Sims. bot. mag. tab. 1970, eoque teste herb. Banks.

a) In montosis rupestribus prope Ezelsfontein et Modderfontein, alt. 4000—5000 ped. (III, A, a); *b)* Draakensteensbergen, alt. 3500—4000 ped., *c)* Dutoitskloofbergen, alt. 3000 ped., *d)* in rupestribus Nieuwekloof, alt. 1000 ped. (III, A, e); *e)* in arenosis Agter de Paarl, 600 ped. alt. (III, D, a).

Valde suspicor, *H. fruticosam* Thunb. non cum hac, sed cum *Polycenia fruticosa* nostra convenire. Icon satis bona, licet folia non recurvata corollaeque lacinae laterales nimis angustae videantur.

3. DENTATA LINN.: caule herbaceo erecto, foliis linearibus erectiusculis glabris, corollae laciniis abbreviatis apice rotundatis subaequalibus, fructu oblongo, carpello posteriori subnaviculari, anteriori quinesulcato.

α. foliis argute serrato-dentatis.

H. dentata Linn. sp. pl. pag. 878.

β. integrifolia: foliis integerrimis.

H. integrifolia Linn.? l. c.

In collibus ad ostia fluvii Omsamcaba, alt. 500—1000 ped. (V, c); in montosis humidis Katberg, alt. 5000 ped. (I, a).

Var. β . *a*) in planitie arenosa inter urbem et Duikervalei, infra 100 ped. alt. (III, E, b); *b*) in Wupperthal (III, A, d) legit baro de Wurmb; *c*) in montosis asperis Stormbergen, alt. 5000—6000 ped.; *d*) Katberg, in graminosis alt. 4000—5000 ped. (I, a); *e*) inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 1000—1500 ped. (V, b).

Linnaei *H. integrifolia* utrum revera huc, an ad quamnam aliam speciem pertineat, non nisi ipsius herbarium docebit.

4. **TENUIFOLIA SCHRAD.:** caule herbaceo erecto, foliis angustissime linearibus subintegerrimis laxis glabris, corollae laciniis sublanceolato-linearibus subaequalibus, fructu oblique ovato, carpello posteriori subnaviculari, anteriori quinesulcato — Schrad. catal. sem. hort. Gotting. Reichenb. hort. bot. I. pag. 13 tab. 133 (excl. syn. Chois.)

a) In valle prope Mierenkasteel, alt. 1000 ped. (III, C);

b) in rupestribus inter Koussie et Zilverfontein, alt. 2000 ped. (III, B).

5. **AUREA ANDR.:** caule herbaceo erecto, foliis filiformibus glabris patulis, corollae laciniis oblongis inaequalibus, fructu oblongo, carpello posteriori naviculari, anteriori marginato-alato levissime sulcato.

In collibus arenosis prope Vischbaai, infra 200 ped. alt. (IV, C, a).

Species foliis teretiusculis supra sulco medio insculptis ab *H. dentata* diversissima. Caulis ramique subradicales simpliciusculi virgati.

6. **MACRA:** caule herbaceo ascendente, foliis angustissime linearibus laxis, corollae tubo bractea ovato-lanceolata brevior, limbi laciniis intermediis linearibus lateralibus oblique subovatis brevioribus, fructu oblique oblongo, carpellis subaequalibus esulcatis, posterioris marginibus magis expansis amplectentibus, iis anterioris ventrem versus contractis.

In collibus asperis ad fluvium Klein Vischrivier (prope villam coloni Berend Bauer), alt. 2000 ped. (V, a).

Haec et sequentes ab antecedentibus recedunt carpellis minus inaequalibus vel etiam aequalibus, ita tamen, ut certi limites desiderentur.

7. **PARVIFLORA**: caule herbaceo ramosissimo, foliis angustissime linearibus integerrimis glabris laxis, corollae tubo bracteam ovatam vix aequante, limbi laciniis oblongis subaequalibus, fructu oblongo, carpellis subaequalibus dorso trisulcatis, posterioris marginibus amplectentibus, iis anterioris ventrem versus contractis.

a) Inter Koussie et Zilverfontein et *b)* prope Karakuis (Bezondermaid), alt. 1500—2000 ped. (III, B); *c)* in rupibus montosis prope Ezelsfontein et Modderfontein, alt. 4500—5000 ped. (III, A, a); *d)* Nieuweveldsbergen, alt. 4000 ped. (II, d).

8. **VIRGATA**: caule suffruticuloso virgato, foliis filiformibus scabris, corollae tubo bracteam lanceolatam superante, limbi laciniis oblongo-linearibus subaequalibus, fructu oblongo-didymo, carpellis subaequalibus teretiusculis.

Locus natalis incertus.

Habitus *H. aureae*, fructus fere sequentis ceterum dissimillimae.

9. **HAMULOSA**: caule herbaceo erecto, foliis angustissime linearibus integerrimis bracteisque inferioribus foliaceis superioribus lanceolatis medio refractis, corollae, bractea brevioris, laciniis abbreviatis subaequalibus, fructu ovato-didymo, carpellis subaequalibus teretiusculis.

Prope Karakuis, alt. 1500—2000 ped. (III, B).

Planta palmaris, spicis fere ab radice incipientibus, bracteis hamatis distinctissima.

10. **DISCOIDEA**: caule herbaceo erecto, foliis angustis subtridactyloideis, corollae tubo bracteam ovato-lanceolatam superante, limbi laciniis oblique ovatis subaequalibus, filamentis anthera longioribus, fructu orbiculato averso ad margines incrassato seminifero, medio membranaceo.

Locus natalis incertus.

Fructus quoad formam singularis, quoad structuram illi duarum antecedentium proximus. Loculamenta teretia magis incurvata sunt, ita ut basi et apice sint contigua, medio remota, nec nisi membrana duplici cohaerentia. An sponte demum secedant, nescio; juniora arcte cohaerent.

DISCHISMA Choisy.

Calyx bipartitus, laciniis lateralibus. Corolla et stamina antecedentium. Achaenia duo subaequalia, pericarpio farcto. —

Cl. Choisy corollam aut unilabiata[m] aut simpliciter lobatam vocat, quod non satis intelligo. Equidem omnium specierum corollam quadrilobam antice fissam, ergo unilabiata[m] reperi, licet fissura minus profunda sit quam apud Hebenstreitias et Polycenias. Carpella fere aequalia, nec alterum alteri clypei instar incumbens, optimus generis character foret, nisi eodem ultimae quoque Hebenstreitiae species gauderent. Nihilominus genus satis naturale, spicis plus minusve villosis ab omnibus Hebenstreitiis facillime distinguitur.

1. FLACCUM: foliis anguste lanceolatis serrato-dentatis basi integerrimis cuneatis, spicis laxis, bracteis ovato-lanceolatis ciliatis corollae tubum subaequantibus, fructu ovato ad commissuram marginulato.

Port Elizabeth, in collibus arenosis infra 100 ped. alt. (IV, C, c).

Caules vix spithamaci ramique ascendentes tenues flexiles. Foliorum fasciculi remotiores. Spicae sesquipollicares. Jam vero, praeter habitum peculiarem, fructu ad commissuram non contracto, sed in marginem protruso, ab omnibus reliquis discedit.

2. CILIATUM CHOIS: foliis linearibus subdentatis, spicis oblongis vel cylindricis, bracteis ovato-lanceolatis ciliatis corollae tubum subaequantibus. — Choisy. l. c. pag. 94 (excl. var. β).

β . *crassifolium*: foliis integerrimis subcarnosis basi paulo latioribus.

a) Wynberg, in collibus alt. 200—600 ped. (III, D, b);

b) Paarlberg, ad rivulos et c) ad montem prope Nieuwekloof, alt. 1000 ped. (III, A, e); d) ad fluvium Zondereinde, alt.

600 ped. (IV, B, b); e) ad montem prope Gnadenthal alt. 1000—1500 ped. (IV, A).

Var. β . inter Olifantrivier et Koussie, alt. 1000—2000 ped. (III, C).

3. **ARENARIUM**: foliis linearibus subdenticulatis, spicis ovatis, bracteis ovatis apiculatis carinatis ciliatis florem superantibus.

Ad ripas arenosas lacus salsi Roodepan (inter Groenkloof et Saldanhaai) infra 400 ped. alt. (III, E, b).

An praecedentis varietas, iniquitate loci profecta? Tota planta $1/2$ — $1\frac{1}{2}$ pollicem longa.

4. **LEPTOSTACHYUM**: foliis linearibus subintegerrimis glabris, spicis longissimis floribus remotiusculis, bracteis ovato-lanceolatis, villosis-ciliatis, corollae tubo longissimo.

a) In planitie sicca (carroidea) inter Goedemanskraal et Kaus, alt. 2000—2500 ped. (III, B); b) in arenosis inter Pikeniersklouf et Pretoriskloof, alt. 1000—1500 ped. (III, E, a).

Sequenti maxime affinis. Sed folia basi latiora nec unquam attenuata, spicae gracillimae, bracteaque non nisi ad margines villosae peculiarem speciem esse suadent.

5. **SPICATUM CHOIS.**: foliis linearibus superne denticulatis ad basin angustissimis subvillosis, spicis cylindricis, bracteis ovato-lanceolatis undique villosis, corollae tubo longissimo. —

Chois. l. c. pag. 94.

Hebenstreitia spicata Thunb. prodr. pag. 103 (in fl. cap. omissa).

a) In montosis planitiei prope Honigvlei, alt. 3500—4000 ped. (III, A, d); b) Giftberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, c); c) in planitie arenosa sicca ad ostia fluvii Garip (III, B).

6. **CLANDESTINUM**: foliis linearibus integerrimis glabriusculis, floralibus ad basin vaginaeformem villosis-ciliatis, floribus minutissimis vaginis foliorum superiorum inclusis.

In arenosis ad fluvium Haazenkraalsrivier, alt. 2000 ped.

(III, C).

Tota planta semipalmaris, foliis pollicaribus.

7. **CAPITATUM CHOIS.**: foliis linearibus subdenticulatis basi angustissimis, spicis ovatis, bracteis foliaceis denticulatis squar-

rosis, basi vaginante villosa-ciliata florem subaequante. —
 Chois. l. c. pag. 94.

a) Prope Paarl, alt. 400 ped. (III, D, a); *b)* in arenosis
 prope Ebenezar, infra 400 ped. alt. (III, E, a).

AGATHELPIS Chois.

Calyx tubulosus quinquedentatus plicatus, antice fere ad
 medium bractee adnatus et fructifer cum ea declinatus. **Corollae**
 tubus longissimus cylindricus flexuosus, limbus hypocrateriformis.
Stamina duo inclusa, filamentis brevissimis. **Achaenium** solitarium
 semiteres calyce inclusum.

1. NITIDA: foliis lineari-filiformibus patentissimis, rachi
 retrorsum hirta, bracteis oblongo-lanceolatis nitidis, calycis an-
 gulis anterioribus submuricellatis.

Prope Cataractam ad montem Duiveisberg, alt. 1000—
 1500 ped. (III, A, e).

2. MUCRONATA: foliis linearibus erectiusculis, rachi cauleque
 subpubescentibus, bracteis oblongo-ovatis mucronulatis, calycis
 angulis anterioribus muricellatis.

In montosis asperis *a)* inter Wagenmakersvalei et Du-
 toitskloof, alt. 1500—2500 ped. (III, A, e); *b)* Piquetberg,
 alt. 1000—2000 ped. (III, A, d); *c)* prope Gnadenthal in fru-
 ticetis, alt. 2000—3000 ped. (IV, A).

3. ANGUSTIFOLIA CHOIS.: foliis lineari-subfiliformibus patulis,
 rachi glaberrima, bracteis oblongis obtusiusculis, calyce laevi. —
 Chois. l. c. pag. 95 (excl. Commel. syn.)

Selago angustifolia Thunb.

a) Tafelberg, alt. 2000—3300 ped. et *b)* Paarlberg alt.
 800—1500 ped. (III, A, e).

4. ADUNCA: foliis lineari-subfiliformibus erectiusculis, rachi
 cauleque tenuissime puberulis, bracteis oblongo-linearibus apice
 retrorsum adunco, calycis angulis anterioribus submuricellatis.

In arenosis *a)* inter Groenekloof et Klipberg, infra 400
 ped. (III, E, b); *b)* inter Pikenierskloof et Pretoriskloof, alt.
 1500 ped. (III, E, a); *c)* inter Wupperthal et Ezelsbank, alt.
 3000 ped. (III, A, d); *d)* Giftberg, alt. 1500—2000 ped.
 (III, A, c).

5. **BREVIFOLIA**: foliis lineari-oblongis, rachi glaberrima, bracteis ovato-lanceolatis acuminatis, calycis angulis anterioribus muricellatis.

Prope Honigvalei alt. 3000 ped. et prope Ezelsbank in rupestribus, alt. 4000—5000 ped. (III, A, d).

MICRODON Chois.

Calyx tubulosus quinquedentatus plicatus liber vel ima basi bractee adnatus. **Corollae** tubus superne infundibuliformis, limbus subbilabiatus, laciniis labii anterioris tripartiti lateralibus divaricatis, intermedia deflexa, posterioris bifidi erectiusculis. **Stamina** didynama, longiora exserta, breviora subinclusa. **Achaenium** solitarium semiteres calyce inclusum. — Genus intermedium inter Agathelpin, cujus calycem fructumque, et inter Selaginem, cujus corollam et stamina refert.

1. **LUCIDUS CHOIS.**: foliis obovatis. — Chois. l. c. pag. 97.

α. foliis exacte obovatis basi cuneatis, bracteis ovatis acuminatis cartilagineo-subdenticulatis lucidis.

β. *oblongatus*: foliis obovato-oblongis basi cuneatis, bracteis ovatis acuminatis integerrimis laevibus.

γ. *ellipticus*: foliis ellipticis obovatisve, bracteis late ovatis brevissime acuminatis integerrimis laevibus.

Piquetberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, d).

Var. *β.* locus natalis incertus.

Var. *γ.* Nieuwekloof, in rupestribus montosis, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e).

Iconis Ventenatiana, in jard. de Malm. tab. 26, comparandae occasio defuit. Secundum descriptionem ad formam nostram principem accedere videtur. Reliquae formae an specie differant, ex speciminibus paucis, quae coram sunt, non satis apparet.

2. **CYLINDRICUS**: foliis linearibus, spicis cylindricis, bracteis ovatis carinatis cum calyce demum reflexis.

In montosis saxosis Dutoitskloof, alt. 1500—3500 ped. (III, A, e).

A. M. ovato Choisy, quem Dregeus non attulit, diversissimus. Bracteis demum reflexis, imae calycis basi adhaerentibus, calycisque angulis anterioribus submuricellatis ad *Agathepides* accedit.

SELAGO L.

spp. pl. excell.

Calyx quinque- vel tridivisus liber vel ima basi bractee adnatus, fissura anteriore saepe profundiore. Corollae tubus infundibuliformis vel cylindricus, limbus quinquefidus inaequaliter patens, fissura posteriore nonnumquam brevior. Stamina didynamia. Achaenia duo subaequalia, pericarpio farcto. — Cl. Choisy, speciminibus Thunbergianis inter se commutatis deceptus, synonyma hujus auctoris egregie perturbavit. Jam vero botanici inter se convenisse videntur, ne descriptionibus auctorum minus quam herbariorum frustulis credant. Nec raro Thunbergii descriptiones in hoc genere tales esse reperi, quales pristinis nominibus restituendis sufficient.

Sectio I. GENUINAE: calyce quinquediviso.

§. 1. Fruticuli ramulosi, foliis solitariis alternis subacicularibus saepe imbricatis; spicis terminalibus erectis subsolitariis; calycibus liberis profunde quinquefidis hirsutis ciliatisve, laciniis subaequalibus obtusiusculis.

1. TRIQUETRA THUNB.: glabra vel obsolete puberula, ramis subumbellatis, foliis subtrigonis obtusis basi imbricatis superne recurvatis, spicis ovatis demum oblongis, bracteis trigono-oblongis appressis, calycis tubo subplicato, laciniis subaequalibus obtusiusculis ciliatis. — Thunb. fl. eap. pag. 461.

An *S. divaricata* Choisy. l. c. pag. 99? (nec Thunb., qui suae plantae folia fasciculata tribuit.)

Locus natalis incertus.

Cl. Choisy plantae suae calycem corollamque quadrifidos tribuit. In nostra constanter utrumque quinquefidum video.

2. ERICINA: ramis irregulariter sparsis puberulis, foliis subtrigonis obtusis imbricatis vernicatis, spicis cylindricis, bra-

cteis subtrigono-oblongis, calycis tubo subplicato, laciniis subaequalibus obtusiusculis ciliatis.

Locus natalis incertus.

3. **COMOSA**: ramis elongatis flexuosis pubescentibus, foliis oblongis, nervo medio subtus incrassato, obtusis imbricatis glabris, spicis elongatis flexuosis, bracteis oblongo-lanceolatis hirsutis, calycis hispiduli laciniis acuminatis, posteriore sublongiore.

In graminosis prope Kovi, alt. 400—800 ped. (V, a).

Flores superiores sero, ut videtur, aperiuntur, quo fit, ut eorum bractee, perinde ac in *Polygala comosa*, diu comam sistant.

4. **GLUTINOSA**: ramis subumbellatis glabris, foliis subacicularibus confertis patulis vernicatis, spicis elongatis cylindricis, bracteis folia simulantibus, calycibus turgidis profunde quinquefidis villosis, laciniis obtusis conniventibus.

a) Cederbergen, alt. 2000—3000 ped. (III, A, d); b) in montosis rupestribus Roodeberg et Modderfonteinsberg, alt. 3500—4000 ped. (III, A, a).

Folia sub lente anguste oblonga, marginibus incrassatis. Stamina duo inclusa, duo exserta.

5. **PINEA LINK.**: ramis sparsis subfastigiatis glabris, foliis acicularibus confertis laxis subvernatis, spicis cylindricis, bracteis basi ovatis longe acuminatis hirsutis, calycibus profunde quinquefidis hirsutis, laciniis obtusis conniventibus. — Link. enum. hort. berol. II pag. 123 (ubi haud dubie vitio typographi pro *pineae* legitur *spinea*).

In collibus Roodezand, alt. 500—1000 ped. (IV, B, b).

Folia 4—6 lineas longa, sub lente angustissime linearia submarginata.

6. **PINGUICULA**: ramis sparsis puberulis, foliis confertis angustissime linearibus oblongisve crassiusculis obtusis patulis, spicis oblongis, bracteis ovatis ciliatis, calycibus profunde quinquefidis, laciniis ciliatis lanceolatis, postrema ovata.

Locus natalis incertus.

§. 2. *Herbae suffruticosae multicaules, caulibus saepe simplicibus, foliis solitariis alternis latiusculis, spicis terminalibus ante anthesin nutantibus, postinde parum elongatis, calycibus liberis puberulis ciliatisve profunde quinquefidis, fissura anteriore fere ad basin producta, tubo subplicato, laciniis subaequalibus obtusiusculis.*

7. *HETEROPHYLLA THUNB.*: glabra, caulibus ima basi ascendentibus, inferne dense foliosis superne nudiusculis, foliis lineari-lanceolatis acutis denticulatis subheteromalis, spicis subglobosis demum oblongis, bracteis subspathulato-linearibus ciliatis, calycis subplicati laciniis linearibus margine pellucidis subciliolatis. — Thunb. l. c. pag. 463.

Prope Ezelsbank alt. 3000—4000 ped. (III, A, d).

Folia radicalia, quae Thunbergius ovata dicit, de nostris speciminibus jam delapsa sunt; caulesque, quos superne ramulosos describit, in nostris, unico excepto, simplicissimi. Reliqua congruunt.

8. *APICULATA*: caulibus ascendentibus, undique foliosis puberulis, foliis obovatis obtusis denticulatis crassiusculis glabris, spicis ovatis, bracteis late obovatis apiculatis ciliatis coloratis, calycis plicati laciniis ellipsoideis margine pellucidis ciliolatis.

In summis montibus Witbergen, alt. 7000—7500 ped. (I, a).

Bractee cauliumque pars superior purpurascens.

9. *CEPHALOPHORA THUNB.*: hirsutiuscula, caulibus ima basi ascendentibus, foliis distantibus, radicalibus lanceolato-oblongis in petiolum elongatum attenuatis serrato-dentatis, superioribus sessilibus sublinearibus integerrimis, spicis ovatis, bracteis lanceolato-ovatis hispidulis, calycis plicati laciniis oblongis pellucidis puberulis. — Thunb. l. c. pag. 464, Chois. l. c. pag. 104.

a) Witbergen, in valle 4500—5000 ped. alt. et b) ibidem, in praeruptis graminosis alt. 7000—7500 ped. (I, a).

Thunbergii plantam, quum nonnisi superficie magis villosa differre videatur, eandem puto. Corollae limbus eleganter aurantiacus.

§. 3. **Herbae** annuae vel perennantes, foliis latioribus vel omnibus vel saltem inferioribus oppositis, spicis solitariis compositisve, calycibus liberis hirsutis quinquefidis vel quinquedentatis, tubo tereti cum fructu aucto, corollis minutissimis.

10. **CORDATA THUNB.**: multicaulis procumbens ramulosa pubescens, foliis inferioribus oppositis subcordato-ovatis serrato-dentatis, basi cuneatis petiolatis, spicis in apicibus ramulorum abbreviatis densifloris, bracteis ovatis florem superantibus, calycibus ad medium quinquefidis hirsutiusculis ciliatis, corollae tubum subaequantibus.

a) In alveo rivuli exsiccati prope Zuureplaats, alt. 4000 ped. (I, c); *b)* Nieuweveldsbergen, 3000—4000 ped. alt. (II, d); *c)* in rupestribus ad montem Roodeberg, alt. 4500—5000 ped. (III, A, a).

Planta admodum variabilis. Radix subsimplex multicaulis, caulibus subfiliformibus saepe spithamam longis procumbentibus, ramulis floriferis saepe frequentissimis. Folia inferiora cum petiolo subsemipollicaria, serraturis infimis maximis, superioribus sensim diminutis; superiora sensim angustiora subintegerrima saepe alterna. Spicae capituliformes, floribus minutis albican- tibus vel subcaerulescentibus. Carpella matura non vidi, semi- matura medio non farcta sed fere cava sunt. Nihilominus huic generi adscripsi, ratus, seminibus auctis, cavitates vacuas di- minutum iri.

11. **HAMULOSA**: annua, caule solitario erecto ramoso pube- rulo, foliis oppositis lanceolatis basi cuneatis, ramis omnibus spicigeris, spicis erectis elongatis, bracteis basi ovatis carinatis, apice retrorsum subhamatis flore longioribus, calycibus pubescen- tibus citra medium quinquefidis corollam minimam subaequantibus.

In graminosis ad fluvium Haazenkraalsrivier, alt. 1500— 2000 ped. (III, C).

Planta vix digitalis. Folia infima circiter 6—7 lineas longa, unam lata. Corollae limbus minimus luteus, calyce fere abscon- ditus. Carpella calyce vix longiora laevia intus farcta.

12. **HIRTA THUNB.**: annua, caule solitario erecto spicisque incano-villosis, foliis oppositis ellipticis serratis petiolatis glabriusculis, spicis compositis terminalibus subaphyllis elongatis, bracteis late ovatis acuminatis basi concavis, apicibus rectis, florem superantibus, calycibus quinquedentatis corollae minimae tubum aequantibus, carpellis transversim rugosis. — Thunb. fl. cap. pag. 464 (non Chois.)

Prope Paarl, 400—600 ped. alt. (III, D, a).

Thunbergium sub *S. hirta* hanc, nec *S. fasciculatae* varietatem hirtam intellexisse, cuique ejusdem descriptionem cum planta utraque comparanti patebit. Habitus omnino antecedentis. Sed caulis spicarum rachis bractee calycesque dense vestiti pilis longis albis basi complanatis decumbentibus apice attenuatis flexuosis, unde partes dictae videntur hirtae, licet tactu molles sint. Foliorum paria duo vel quatuor; tunc spicae plures alternae digitales erectae. Calyces circa fructum subinflati, demum saepe in duas partes, alteram anteriorem alteram posteriorem rupti. Corollae luteae limbus minimus, ut in antecedente; sed tubus paulo longior, unde limbus magis in conspectum venit. Ab omnibus tamen speciebus mihi notis differt carpellis latere utroque transversim rugosis. Pro genere peculiari haberem, nisi species antecedens, carpellis laevibus calycibusque quinquefidis, huic nimis affinis esset.

§. 4. Herbae perennes vel suffrutices, foliis solitariis oppositis vel saepius alternis, spicis plerumque corymboso-fastigiatis, calycibus profunde quinquefidis glabris bractee ad basin adnatis, laciniis anterioribus sensim longioribus.

13. **VERBENACEA THUNB.**: glabriuscula, caule herbaceo ramoso ramisque erectis tetragonis, foliis spathulato-oblongis grosse serrato-dentatis, spicis fastigiatis, bracteis lineari-lanceolatis. — Thunb. l. c. 464, Chois. l. c. pag. 108.

In humidis a) inter frutices ad fluvium Bergrivier, alt. 400 ped. (III, D, a); b) Paarlberg, subumbrosis alt. 1000—1500 ped., c) Dutoitskloof, alt. 1500—3000 ped. et d) Groot

Draakensteen, in rupestribus ad Cataractam alt. 2000 ped. (III, A, e).

Stamina longiora equidem semper exserta vidi, cl. Choisy omnia inclusa. Variat foliis inferioribus vix pollicem longis semipollicem latis, et duplo longioribus, latitudine parum aucta.

14. **ASCENDENS**: radice multicauli, caulibus herbaceis ramisque ascendentibus teretiusculis hirtellis, foliis obovatis in petiolum attenuatis dentatis glabris, spicis subpaniculatis longe pedunculatis cylindricis, bracteis linearibus apice subincrassatis.

In rupestribus montosis Dutoitskloof (inter Uitkyk et Slangenhoek), alt. 4000 ped. (III, A, e).

15. **GUTTATA**: radice multicauli, caulibus herbaceis ad basin declinatis, tunc erectis simpliciusculis subangulatis glabris, foliis obovatis dentatis sessilibus, supremis minutissimis, spicis brevissimis cymoso-conglomeratis, bracteis linearibus.

In rupestribus ad montem prope Ezelsbank, 4000—5000 ped. alt. (III, A, d).

Corolla ad faucem miniata.

16. **FASCICULATA LINN.**: caule erecto suffrutescente angulato simpliciusculo, foliis denticulato-serratis, spicis dense cymoso-fastigiatis demum valde elongatis, bracteis lanceolato-linearibus.

a. glabra.

S. fasciculata Linn. mant. pag. 250, Choisy l. c. pag. 107, omniumque auctorum.

β. hirta: foliis tomentoso-hirtis, canescentibus.

S. hirta Choisy l. c. (non Thunb.).

a) In arenosis inter Bergvlei et Zwartbastkraal, alt. 800 ped. (III, E, a); *b)* Dutoitskloof, prope Uitkyk et *c)* Tafelberg, utrinque in montosis rupestribus, alt. 3000—3500 ped. (III, A, e); *d)* (subvariet. *b*) prope Honigvlei, alt. 3000 ped. (III, A, d).

Var. *β. a)* in montosis rupestribus Nieuwekloof, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e); *b)* (subvariet. *b*) Tafelberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e).

Nullos utriusque formae fines certaue discrimina eruere licuit. Superficies multum variat, nec desunt specimina inferne glaberrima, spicis jam hirsutiusculis. Utriusque caulis modo

debilior et herbaceus, modo firmior suffrutescens etc. Memoratu non minus digna videtur alia utriusque varietas. a. Saepe enim folia cuncta (non superiora tantum) lata basi sunt sessilia, et tunc haud raro carinata; b. saepe cuncta ad basin cuneata et subpetiolata vulgoque tunc plana. Postremo inter specimina varietatis β hirtae b. foliis cuneato-subpetiolatis varietas adest foliis inciso-serratis. Nec difficile foret plures plantae tam polymorphae formas distinguere.

17. ARGUTA: caule erecto herbaceo teretiusculo simpliciusculo, foliis oblongo-lanceolatis vel sublinearibus argute denticulato-serratis, cymis spicigeris laxe corymboso-compositis fastigiatis, bracteis linearibus.

In valle montis Giftberg, alt. 1500 ped. (III, A, c).

Haec etiam antecedentis forsitan mera varietas, sed habitus peculiaris et nullae formae intermediae.

18. RAPUNCULOIDES LINN.: caule erecto suffruticoso tereti, foliis confertis linearibus remote dentatis vel subintegerrimis glaberrimis, apice callosis, spicis subcorymbosis demum valde elongatis, bracteis lanceolato-linearibus. — Linn. spec. plant. p. 877. Burm. plant. afric. tab. 42 fig. 1.

S. spuria Jacq. fragm. tab. 3 fig. 1 (non Linn.).

a) In coronis montium Piquetberg, alt. 2000 ped. (III, A, d); b) in montosis humidis inter Nieuwekloof et Cataractam, alt. 1000—1500 ped., c) in montosis prope Winterhoek, alt. 1000—1500 ped. (III, A, e); d) ad fluvium Breederivier, alt. 800 ped. (IV, B, b).

19. SPURIA LINN.: caule erectiusculo suffruticoso tereti, foliis confertis linearibus denticulatis vel subintegerrimis hispidulis, apice subcallosis, spicis subcorymbosis demum valde elongatis, bracteis spathulato-linearibus. — Linn. 4. c. Burm. l. c. fig. 3.

a) Wynberg, in collibus infra 400 ped. alt. (III, D, b); b) in planitie ad fluvium Bergrivier prope Paarl, alt. 400 ped. (III, D, a); c) Paarlberg, alt. 1500 ped.; d) Dutoitskloofbergen, alt. 2000—3000 ped.; e) Nieuwekloofbergen, in rupetribus, alt. 1000 ped. (III, A, e); f) Cederbergen, alt.

2000—3000 ped. (III, A, d); *g*) Giftberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, c); *h*) Donkerhoekshoogte, 1500—2000 ped. (IV, B, a).

Antecedenti valde affinis. Sed caulis rapunculoidis saepe bipedalis ad basin digitum minorem crassus; spuriae plerumque vix pedalis et vix pennam scriptoriam crassus. Illius folia saepe sesquiumcialia confertissima, semper glaberrima; hujus minus conferta 8—10 lineas longa hispidula. Illius flores tubo ultra duas lineas, hujus vix sesquilineam longo.

20. COCCINEA LINN.: caulibus ascendentibus suffrutescen-
tibus, foliis confertis linearibus elongatis integerrimis vel sub-
denticulatis glabriusculis, apice subcallosis, spicis corymbosis
fastigiatis, bracteis panduraeformibus acuminatis.

a) In arenosis Franschehoek, alt. 500 ped. (III, D, a);

b) Draakensteensbergen, *c*) Dutoitskloofbergen, utroque loco
alt. 2000—3000 ped.; *d*) Paarlberg, alt. 1000 ped. (III, A, e).

Foliis nunc hispidulis nunc glaberrimis inter *S. spuriam*
et *rapunculoidem* ambigit. Sed folia angustiora quam hujus,
longiora quam illius, nec raro ultra pollicem cum dimidio longa.
Flos fere rapunculoidis. Ab utraque bractearum forma differt.

§. 5. Herbae suffruticosae, foliis alternis solitariis vel sub-
fasciculatis latiusculis, floribus pedicellatis corym-
bosis vel subcymosis, pedicellis apice (nec ad basin)
bracteatis.

21. TRINERVIA: herbacea erecta, foliis infimis oppositis lan-
ceolatis marginatis apice serratis, basi trinerviis breve petiolatis,
superioribus alternis sublinearibus integerrimis, corymbis subpa-
niculatis, pedicellis longitudine bractee patulis, bractea ad basin
calycis lanceolata carinata corollae tubum aequante, calycibus
fere duplo brevioribus quinquefidis subulatis.

In graminosis inter Omsamculo et Omcomas, infra 200
ped. alt. (V, c).

Herba tenuis pedalis, caule erecto, ramis infimis ascen-
dentibus cauli simillimis apice ramuloso-cymosis. Folia inferiora
sesquipollicaria 5 lineas lata, superiora circiter pollicaria lineam

lata. — Corymbi circiter decemflori, pedicellis inferioribus sesquilineam longis, bractea pedicellum aequante, sed ad apicem ejusdem, nec ad basin inserta. Corolla luteola. Habitus peculiaris. Fructus et flos omnino hujus generis.

22. **PEDUNCULARIS**: herbacea erecta, foliis alternis linearibus utrinque acutis, axilla foliolis onustis, corymbis subcymosis, pedicellis capillaceis, calyce duplo longioribus, bractea suborbiculari-ovata acutiuscula concava calycis tubum vix superante, calycibus quinquefidis, laciniis obtusissimis corollae tubum aequantibus.

Crescit cum antecedente.

Habitus fere praecedentis, sed omnia tenuiora, ramuli pauciores, corymbi 20—30-flori, nec tamen eis praecedentis multo majores. Pedicelli inferiores duas lineas longi. Flores una cum bractea subglobosi lineam longi. Carpella subsemiglobosa.

§. 6. Suffrutices, foliis fasciculatis, floribus subcorymbosis vel saepius spicatis, calycibus variis liberis vel vix ima basi bractee adnatis. — Species priores quoad inflorescentiam subcorymbosam inter hanc paragraphum et praecedentem ambigunt.

23. **HYSSOPIFOLIA**: caule erecto superne paniculatim ramoso pubescente, foliis fasciculatis lineari-oblongis, lanceolatis ellipticisve basi trinerviis, corymbis subsexfloris paniculatis, pedicellis brevissimis, bractea calycisque laciniis aequilongis obtusissimis corollae tubum aequantibus.

α. foliis lineari-oblongis integerrimis, bracteis calycibusque glabris.

β. *elliptica*: foliis ellipticis subintegerrimis, bracteis calycibusque glabris.

γ. *lanceolata*: foliis inferioribus lanceolatis utrinque acutis superne argute serrulatis.

In graminosis an fluvium quendam minorem, inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 1000—1500 ped. (V, b).

Var. *β*. in Caffria (V, b vel V, c).

Var. *γ*. inter Omsamwubo et Omsamcaba, alt. 1000 ped. (V, b).

24. CORYMBOSA LINN.: caule ramisque erectis virgatis pubescentibus, foliis fasciculatis revolutis-filiformibus flexuoso-patulis, floribus subcorymbosis, corymbis corymboso-cymosis, bracteis ovatis ciliatis calycem aequantibus, calycis profunde quinquefidi laciniis subaequalibus pellucido-marginatis obtusis ciliatis corollae tubum subaequantibus. — Linn. spec. plant. pag. 876. Chois. l. c. pag. 100.

β. polystachya: foliis abbreviatis rigidis, spicis thyrsoideo-conglomeratis.

S. polystachya Linn. mant. pag. 250, excl. Commel. synonym., Chois. l. c. pag. 110 (inter spec. dub.), excl. Jacq. synonym.

a) Ad Leeuwenberg et Tafelberg (prope Leenwenhof) in fruticetis vulgaris, alt. 500—1500 ped. (III, D, b et III, A, e); *b)* inter frutices ad Bergrivier prope Paarl, alt. 400 ped. (III, D, a); *c)* in asperis dumosis ad Vanstaadesberg, alt. 800—1500 ped. (IV, C, c); *d)* (forma intermedia inter var. *α* et *β*.) Sneeuwbergen (inter Compasberg et Rhinosterbergen), alt. 4500—5000 ped. (I, c).

Var. *β.* *a)* in montosis rupestribus Blaauwberg (inter Boschkloof et Honigvlei), alt. 4500—5000 ped. (III, A, d); *b)* in depressis humidis inter Klaasniemandfontein et Bethelsdorp, alt. 500 ped. (IV, C, c); *c)* in asperis inter suffrutices ad montem Bothasberg, alt. 2000 ped. (V, a).

Utramque formam ejusdem esse speciei, specimina ad Sneeuwbergen lecta docent, quorum inflorescentia est ea varietatis *α*, folia ea var. *β*.

25. CINEREA THUNB.: caule ramisque erectis virgatis pubescentibus, foliis fasciculatis linearibus margine revolutis erectiusculis spicis subcymosis, bracteis lanceolatis calyce fere duplo longioribus calycibusque profunde quinquefidis hirtis, laciniis lanceolatis corollae tubo dimidio brevioribus. — Thunb. fl. cap. pag. 465. Chois. l. c. pag. 101.

a) In collibus arenosis inter Bergvlei et Zwartbastkraal, alt. 600—1000 ped., *b)* in arenosis inter Pikenierskloof et Pretoriskloof, alt. 1500 ped. (III, E, a); *c)* in montosis rupestribus prope Nieuwekloof, alt. 1000 ped. (III, A, e).

Folia formae prioris 4—5 lineas longa, varietatis β semipollicaria et ultra, lineam fere lata. Flores violacei.

26. GLOMERATA THUNB.: caule ramisque hirtellis, foliis fasciculatis subsemiteretibus succulentis, spicis cymosis vel conglomeratis, bracteis ovatis acutis ciliatis calycem vix superantibus, calycis laciniis subaequalibus ciliatis corollae tubo duplo brevioribus. — Thunb. l. c. pag. 461 (a cl. Choisy omissa).

a) Grootfontein in Langekloof, in rupestribus prope Cataractam, alt. 2000 ped. (IV, B, c); b) inter Klaasniemandfontein et Bethelsdorp, alt. 500—800 ped. (IV, C, c); c) in asperis ad latera septemtrionalia montium Zuurebergen, alt. 2000—3000 ped. (V, a).

Fructus hujus plantae, qui pauci adsunt, aut morbo quodam affecti sunt, aut novum genus postulant, quod equidem incertus aliis condendum relinquo. Sunt enim fructus alii pisi magnitudine coriacei nigri intus vacui, nullo seminis rudimento; alii minus aucti minusque coriacei, nec tamen adeo fragiles quam aliarum specierum, carpellis demum secedentibus, unam magnam cavitationem simul constituentibus, utroque vero in media pariete aliam cavitationem angustissimam monstrante, quam pro vero loculamento habeo, quamvis nullum unquam semen in iis reperiverim. Quoties autem in toto isto plantarum ordine semen non perficitur, toties loculamentum verum vel contrahi vel omnino claudi, et cavitas interna eo magis amplificari solent. Ceterum habitus hujus speciei nil prae se fert, quod genus peculiare indicare videretur.

27. TEPHRODES: caule ramisque saepe laxioribus pubescentibus, foliis fasciculatis revolutis filiformibus flexuoso-patulis, spicis racemosis paniculatisve demum valde elongatis, bracteis ovatis acutis hirtis calyce parum longioribus, calycibus inaequaliter quinquentatis subvillosis hispidulis corollae tubum subaequantibus.

S. strita Choisy? l. c. pag. 103, nec Berg.

Prope Paarl alt. 500—1000 ped. (III, D, a); b) Paarlberg, alt. 1500—2000 ped., c) in montosis rupestribus Niewekloof, alt. 800—1200 ped. (III, A, e).

Folia fere *S. corymbosae*. Flores pallide violaceo-cinerascentes. A plerisque hujus paragraphi speciebus differt calyce dentato nec fisso. Quam ob rem *S. stricta* Berg. esse nequit, cujus calyx ab auctore accuratissimo ultra medium quinquefidus describitur.

28. **RAMULOSA**: caule erecto glabriusculo inde a basi ramosissimo, ramis simplicibus abbreviatis erectiusculis hirtellis, foliis fasciculatis revolutis-filiformibus rectis, spicis in apicibus ramorum racemosis subglobosis paucifloris, bracteis ovato-lanceolatis calyce subsesquilongioribus glabris, calycibus subaequaliter profunde quinquentatis subciliatis corollae tubum aequantibus.

Ad fluvium Karmelksrivier, alt. 500 ped. (IV, B, b).

Praecedenti valde affinis. Folia vero non nisi 2—3 lineas longa, nec flexuosa; ramificatio in toto genere singularis; flores caerulei etc.

29. **CANESCENS THUNB.**: caule erecto ramisque canescentibus, junioribus albido-hirtellis, foliis fasciculatis linearibus margine revolutis scabriusculis patulis, spicis subracemosis, bracteis oblongis calycem aequantibus calycibusque profunde quinquentatis hirtis corollae tubum aequantibus.

a) In rupestribus inter Koussie et Zilverfontein, alt. 1500—2000 ped. (III, B); b) in collibus asperis siccis prope Gaatje, alt. 4500—5000 ped. (I, a); c) inter Compasberg et Rhinosterbergen, alt. 5000 ped. (I, c); d) in collibus prope Hamerkuil, alt. 3000 ped. (II, b).

Folia primaria, fasciculum in axilla foventia, plerumque persistentia 3—4 lineas longa, secundaria fere duplo breviora. — Cl. Choisy *S. canescentem* Thunb., una cum ejusdem *S. fruticosa*, ad *S. glabrata* suam laudavit. Sed Thunberg *S. canescenti* suae calycem villosis-hispidum, Choisy *S. glabratae* suae calycem glabrum tribuunt, ut reliqua discrimina taceam.

30. **SCABRIDA THUNB.**: caule ramosissimo, ramis ramulisque divaricatis filiformibus hirtellis, foliis caulinis fasciculatis, ramis subsolitariis linearibus revolutis-teretiusculis hispidulis, spicis

terminalibus subsolitariis, bracteis lanceolatis calyce subsesquilongioribus calycibusque profunde quinquefidis hispidulis, corollae tubo cylindrico duplo brevioribus. — Thunb. fl. cap. pag. 461.

a) In montosis asperis prope Gnadenthal, alt. 2000—3000 ped. (IV, A); *b)* in rupestribus prope Wupperthal, alt. 2500 ped. (III, A, d).

Folia 1—2½ lineas longa, vix semilineam lata.

31. **DISTANS**: caule subtrichotome ramoso, ramulis pubescentibus, foliis fasciculatis subincurvatis semiteretiusculis obtusis, junioribus viscidulis, spicis terminalibus solitariis dissitifloris, bracteis oblongis calyce sesquilongioribus, calycibus inaequaliter quinquefidis viscidulis, laciniis acuminatis corollae tubo brevioribus.

Kendo, in collibus siccis, 3000—4000 ped. alt. (II, e).

Folia 2—3 lineas longa, vix semilineam lata dorso convexa, facie planiuscula. Flores, ni fallor, albentes aut forsan lutei, jam sub anthesi adeo remoti, ut calycibus interstitia florum subaequilonga sint.

32. **LEPTOSTACHYA**: caule ramisque flexuoso-ascendentibus puberulis, foliis fasciculatis revolutis subfiliformi-linearibus acutiusculis, fasciculis callo demum lignescente fultis, spicis terminalibus solitariis longissimis gracilibus, bracteis lanceolatis ciliatis calyce parum longioribus, calycis profunde quinquefidi laciniis ciliatis inaequalibus, corollae tubo brevioribus.

In locis depressis et inundatis circa flumina *a)* prope Zeekoerivier in Sneeuwbergen, alt. 4500—5000 ped. (I, c); *b)* prope Steerkloof in Uitvlugt, alt. 3500—4000 ped. (I, d); *c)* Camdeboo, alt. 2500 ped. (II, b); *d)* prope Kendo, alt. 2500—3000 ped. (II, e) et *e)* Zwartkopsrivier, in fruticetis, infra 100 ped. alt. (IV, C, c); *f)* prope Keiskamma, infra 500 ped. alt. (V, b).

Folia 2—4 lineas longa. Spicae digitales, floribus sub anthesi subimbricatis, deinde parum remotis.

33. **TENUIS**: caule erecto ramosissimo, ramis ramisque divaricatis acipe tenuissime puberulis, foliis fasciculatis brevissimis revolutis teretiusculis, spicis terminalibus subsolitariis vel corymboso-racemosis, bracteis ovato-lanceolatis obtusiusculis

calycem superantibus glabris, calycibus profunde quinquefidis valde irregularibus, laciniis pellucide marginatis lanceolatis subciliolatis corollae tubo duplo brevioribus.

Locis siccis ad radices montium prope Geelbeks kraal, alt. 2500 ped. (III, C).

Folia $\frac{1}{2}$ —1 lineam longa divaricata. Spiculae circiter decemflorae, demum parum elongatae.

34. APPRESSA CHOIS.: caule erecto ramosissimo, ramis ramulisque incurvato-erectis superne subviscoso-hirsutiusculis, foliis fasciculatis brevissimis revolutis teretiusculis subsucculentis, spicis terminalibus oblongis rariusve lateralibus sessilibus subglobosis, bracteis lanceolatis obtusiusculis florem subaequantibus pubescentibus, calycibus inaequaliter quinquefidis hirsutis corollae tubum aequantibus. — Chois. l. c. pag. 103 tab. 4.

Inter Compasberg et Rhinosterbergen, alt. 5000 ped. (I, C).

Antecedenti simillima; differt ramis incurvatis, spicisque hirsutis subviscosis, corollae tubo calycem non superante (quod in icone laudata corrigendum est) etc.

35. GENICULATA THUNB.: caule ramisque flexuoso-subgeniculatis, junioribus puberulis, foliis fasciculatis summisve solitariis callo demum lignescente fultis lanceolato-linearibus planis glabris, spicis subcorymboso-racemosis subsecundis laxifloris, bracteis linearibus calyce parum longioribus, calycibus inaequaliter quinquefidis puberulis, laciniis sublinearibus obtusiusculis corollae tubo subtriplo brevioribus. — Thunb. l. c. pag. 460. Chois. l. c. pag. 102.

In collibus arenosis citra Noagaspoort, alt. 2000 ped. (III, B).

Folia 3—6 lineas longa, majora supra medium lineam lata obtusiuscula, basin versus sensim attenuata. Flores videntur luteoli.

36. HERMANNIOIDES: caule ramisque leviter flexuosis tenuissime puberulis, foliis fasciculatis solitariisve oblongis planis tenuissime puberulis subcanescentibus, spicis longe racemosis brevissime pedunculatis subglobosis, bracteis ovatis acutis calyci-

busque quinquefidis subaequalibus villosiusculis corollae tubo parum brevioribus.

Prope Uitkomst, alt. 2000—2500 ped. (III, C).

Folia primaria saepe 9 lineas longa, supra medium 3 lineas longa. Totus habitus *Hermanniam* *hyssopifoliam* refert.

Sectio II. MACRIA.

Calyx trifidus, lacinia posteriore plerumque minore, lateralibus integris vel apice obsolete bidentatis. — Sectionem generis, nec genus, dicere volui in memoriam scriptoris nec negligendi nec certe primoribus adnumerandi, Macri Floridi.

§. 1. Foliis fasciculatis.

37. MINUTISSIMA CHOIS.: caule fruticuloso ramosissimo, ramis divaricatis puberulo-canescens, foliis fasciculatis divaricatis oblongis obtusis succulentis, spicis subglobosis demum elongatis racemosis, bracteis oblongis glabris florem subaequantibus, calycibus trifidis, laciniis lateralibus apice bifidis, ciliatis corollae subquadrifidae tubum subaequantibus. — Chois. l. c. pag. 100. tab. 3.

a) In collibus asperis prope Ukuip, alt. 2000 ped. (III, B);

b) in rupestribus inter Riviertje et Nieuwkerkshoogte, alt. 4000—5000 ped. (I, c); c) inter Hexriviersberg et Driekoppen, alt. 2500—3000 ped. (II, f).

Species quoad calycem inter utramque generis sectionem intermedia, hinc ad sequentem hinc ad *S. tenuem* accedens. Nunquam tamen calycem adeo regularem vidi, quam icon laudata sistit.

38. CHOISIANA: suffruticosa multicaulis canescens, caulibus erectis inferne subsimplicibus, foliis fasciculatis minimis planiusculis, spicis dense caudato-racemosis, racemis longissimis inferne subpaniculatis, bractea calycem vix superante, calyce profunde trifido ciliolato, lacinia postica minima, lateralibus corollae tubum aequante.

Prope Rhinosterkop, alt. 3000 ped. (II, d).

Planta spithamaea, foliis vix semilineam superantibus. *S. appressae* Chois. et sequenti affinis, sed certe distinctissima. Cf. *S. articulata* Thunb. l. c. p. 460.

39. *SAXATILIS*: caule fruticuloso erecto subumbellatim ramoso, ramis subviscoso-puberulis, foliis fasciculatis subsemiteretibus divaricatis minutis, spicis subglobosis demum parum elongatis racemosis, pedunculis spicarum tectis bracteis dense imbricatis late ovatis turgidis, singulorum florum bracteis calycem aequantibus, calycis profunde trifidi ciliati lacinia posteriore anterioribus, corollae tubum aequantibus, duplo brevioribus.

Inter saxa prope Colesberg, alt. 4500 ped. (I, b).

Selagini appressae habitu simillima, sed calycis bractearum sterilium ad spicarum basin calycisque forma diversissima.

40. *MICRANTHA CHOIS.*: suffruticosa glabra canescens, caule ramisque ascendentibus flexuosis, foliis fasciculatis linearibus planis valde inaequalibus, spicis oblongis longissime racemosis vel subspicatis, bracteis oblongis calycem vix superantibus, calycis trifidi ciliati lacinia posteriore anterioribus, corollae tubum aequantibus, duplo brevioribus. — Chois. l. c. pag. 98.

Nieuwe Hantom vel Zeekoerivier? alt. 4000—5000 ped. (I, b).

Caulis ramique quasi volubiles, licet nil comprehendant. Folia primaria 3—4 lineas longa, secundaria (ex primariorum axillis orta) sensim minora usque ad lineae unius longitudinem. Flores, ni fallor, albentes.

41. *FRUTICOSA LINN.*: fruticulosa tenuissime puberula, ramis filiformibus erectis, foliis fasciculatis linearibus planiusculis inaequalibus, spicis subglobosis terminalibus in ramulis superne frequentioribus, bracteis linearibus (subnigricantibus?) flore fere longioribus, calycibus profunde trifidis, exceptis nervis dorsalibus, subscariosus pellucidus ciliatus, lacinia posteriore minima, anterioribus corollae tubum aequantibus. — Linn. mant. pag. 87, Thunb. l. c. pag. 460.

Locus natalis incertus.

Specimina hujus pauca adsunt, caulibus vix semipedalibus. Ceterum tam Linnaei quam Thunbergii descriptiones et inter se et cum planta nostra ad amussim quadrant. Cl. Choisy, specimine Thunbergiano commutato deceptus, *S. fruticosam* Thunb., nec Linn., ad suam *S. glabrata* mandavit, cujus descriptio a descriptione Thunbergiana toto caelo abhorret.

42. *WITBERGENSIS*: suffruticulosa multicaulis, caulibus ramisque erectis apice ramulosis, foliis fasciculatis linearibus planis puberulis, spicis terminalibus subsolitariis oblongis, bracteis oblongis calyce multo longioribus, corollae tubum aequantibus, calycis subciliati lacinia posteriore anterioribus obtusis parum brevioribus.

In montosis Witbergen, alt. 5000—6000 ped. (I, a).

A subsequente, cui simillima, differt tenuitate (licet folia vix breviora sint); spicis minime in thyrsum contractis, sed, si mavis, racemosis, ita tamen ut pedunculi inferiores saepe pollicem et ultra longi sint; tum bracteis latioribus et obtusioribus, imprimis vero corollae tubo brevioribus, bracteam haud superante.

43. *CINERASCENS*: fruticulosa, caule ramisque erectis subumbellatis, foliis fasciculatis linearibus planiusculis subaequalibus, spicis paniculato-thyrsoideis, ramulis nudiusculis, bracteis lanceolatis calyce subduplo longioribus, corollae tubo elongato subduplo brevioribus, calycis lacinia posteriore anterioribus obtusis parum brevioribus.

α. foliis glabriusculis laevibus, ramis pubescentibus.

β. exasperata: foliis brevioribus, praesertim ad margines scabris, ramis hispidulis.

Locus natalis incertus.

Cave, ne cum *S. cinerea* nostra confundas, cui simillima. Differt imprimis foliis minus revolutis, spicis minime fastigiatis (licet nonnunquam laxius sint dispositae), et calyce trifido. Utra vero sit genuina *S. cinerea* Thunb., valde dubito.

44. *DECIPIENS*: fruticulosa erecta superne ramosa, foliis fasciculatis linearibus margine subrevolutis pubescentibus, spicis in ramulis filiformibus nudiusculis subcymosis semiglobosis,

demum oblongis, bracteis lineari-lanceolatis demum squarrosis calyce multo longioribus, corollae tubum subaequantibus, calycis lacinia posteriore anterioribus duplo brevioribus.

Locus natalis incertus.

45. **CILIATA THUNB.**: fruticulosa ramis hispidis, foliis subsolitariis fasciculatisve ovato-lanceolatis acuminatis rugulosis ad margines hispido-ciliatis, spicis terminalibus solitariis cylindraceis, bracteis lanceolatis acuminatis corollae tubum aequantibus hispido-ciliatis, calycis profunde trifidi hispiduli laciniis subaequalibus apice subulatis, corollae tubo duplo brevioribus. — Thunb. l. c. pag. 465, Choisy. l. c. pag. 109.

In collibus inter Buffeljagtrivier et Karmelksrivier, alt. 500—1000 ped. (IV, B, b).

Folia a Thunbergio lineam longo, a Choisy tres lineas longa dicuntur, in nostra primaria saepe semipollicaria inveniuntur, axillaria lineas 2—3 longa.

46. **ROTUNDIFOLIA THUNB.**: fruticulosa erecta, ramis subfastigiatis erectis subsimplicibus elongatis puberulis, foliis fasciculatis (saepe quaternis) obovatis subcoriaceis pallidis, subaequalibus, spicis corymboso-subfastigiatis demum parum elongatis, bracteis oblongo-navicularibus obtusis, calyce multo longioribus, corollae tubo elongato brevioribus, calycis subtripartiti puberuli lacinia posteriore sublineari fere duplo brevioribus, anterioribus oblongis obtusis.

In depressis humidis inter Klaasniemandfontein et Betheldorp, alt. 500 ped. (IV, C, c).

A Microdonte lucido, quocum conjunxit cl. Choisy, diversissima. Folia 2—3 lineas longa, dimidium lata. Flores, ni fallor, purpurascens.

§. 2. Foliis solitariis sparsis.

47. **RECURVA**: fruticulosa, ramis ramulisque subumbellatis curvatis scabriusculis, foliis sparsis lata basi sessilibus lanceolatis acutis, basi appressis subimbricatis, apice recurvatis, margine hispidulo-ciliatis, spicis terminalibus solitariis cylindraceis, bracteis lanceolato-acuminatis calyce parum longioribus, corollae

tubum aequantibus, calycis subtripartiti laciniis lanceolato-subulatis hispido-ciliatis, posteriore subduplo brevioribus.

In planitie calcarea inter Kuga et Zondagrivier, alt. 600 ped. (IV, C, c).

WALAFRIDA.

Calyx subbilabiato-quadrupartitus, lacinia anteriore paulo majore. — **Corollae** tubus cylindricus flexuosus, limbus subaequalis quinquelobus. **Stamina** didynama tubo inclusa, antheris dorso insertis incumbentibus ovatis. **Germen** subglobosum, **stylus** filiformis exsertus. **Stigma** clavatum incurvum. **Carpella** bina demum secedentia subsemiglobosa pseudotrilocularia, loculis lateralibus vacuis intus hispidulis, dorsali et intermedio tanquam in ipsa pariete introrsum tumida abscondito monospermo. **Semen** curvato subtriangulum. — Genus quoad corollam Selagini, quoad fructum Polyceniae proximum, ab utroque diversum calycis partium numero quaternario. Dixi in memoriam Walafridi Strabi, cujus Hortulum nemo nescit elegantiarum literarum peritus.

I. NITIDA:

a) Inter Gamtoosrivier et Kabeljousrivier, infra 500 ped. alt. (IV, C, c); *b)* in montosis rupestribus Vanstaadesberg, alt. 1500—2000 ped. (IV, A).

Fruticulus circiter pedalis ramique erecti subflexuosi, juniores foliis subdecurentibus angulosi, ad angulos hirti. Folia ovata subcoriacea acuta vel breviter acuminata, nunc iis Myrti communis quoad formam simillima, nunc breviora multo latiora minus acuta et ad basin fere subcordata. Spicae terminales, floribus sub anthesi subfastigiatis, demum elongatae cylindricae. Bractee lanceolato-acuminatae, calyce multo longiores, corollae tubo tres lines longo breviores. Corollae caerulea.

VERBENACEAE Juss.

CLERODENDRON Linn.

1. GLABRUM: foliis oppositis ternisve ovatis obtuse acuminatis integerrimis subcoriaceis glaberrimis, cymis terminalibus compositis, calyce quinquefido hirsutiusculo, tubo plicato multinervi sub fructu ampliato, corollae glabrae tubo calyce duplo longiore, drupa abortu submonosperma.

β. angustifolia: foliis ovato-lanceolatis duplo minoribus.

Ad ripas fluvii Basche, alt. 500 ped. (V, b).

Var. β. ad ripas fluvii Key, alt. 500 ped. (V, b).

VITEX Linn.

1. OBOVATA: tomentosa, foliis quinatis, foliolis obovatis brevissime apiculatis, cymis axillaribus folio brevioribus, calycibus decemcostatis corollisque extus tomentosis.

In valle inter Komga et Key, alt. 1000 ped. (V, b).

LANTANA Linn.

1. SALVIAEFOLIA JACQ. schoenbr. III tab. 285.

a) Modderfontein (prope Brakrivier), ad rivulum inter frutices, alt. 2500 ped., *b)* in collibus graminosis ad fluvium Katrivier, alt. 1500—2000 ped. (V, a); *c)* ad fluvium Basche, alt. 500 ped. (V, b); *d)* in collibus inter gramina altiora, inter Omsamculo et Omcomas, infra 500 ped. alt. (V, c); *e)* in montosis asperis prope Graafreynet, alt. 2500—3000 ped. (II, b); *f)* prope Rhinosterkop, alt. 3000 ped. (II, d).

SPIELMANNIA Medic.

1. AFRICANA WILLD. spec. plant. III pag. 321.

a) In collibus prope Wynberg, infra 400 ped. alt. (III D, b); *b)* Paarlberg, alt. 800—1500 ped. (III, A, e); *c)* ad montem inter Boschkloof et Honigvlei, alt. 2000 ped. (III, A, d); *d)* Giftberg, alt. 1500—2000 ped., *e)* Onderbokkeveld, alt. 2500 ped. (III, A, c).

2. REVOLUTA: foliis lanceolatis imbricatis, marginibus dentatis revolutis, tubo corollae recto.

In montosis rupestribus *a)* prope Elleboogsfontein et *b)* prope Kuil, alt. 3000—4000 ped. (III, A, a).

Frutex rigidus hirsutissimus, subdichotome ramosus pedalis, ramis erectis subfastigiatis. Folia basi latiori sessilia densa erecta imbricata, 4—5 lineas longa propter margines dentatos revolutos pseudo-integerrima acutissima. Flores versus apices ramulorum laterales solitarii sessiles, folia vix aequantia. Calyx quinquepartitus subaequalis, laciniis linearibus. Corollae tubus calyce duplo longior rectus cylindricus crassiusculus, intus ad faucem hirsutus; limbus quinquelobus subregularis, lobis obtusissimis. Stamina tubo inclusa. Drupa monopyrena disperma. Semina erecta exalbuminosa. Embryo erectus, radícula infera, cotyledonibus ovatis, dorso convexis.

LIPPIA L.

1. NODIFLORA RICH. in Mich. fl. bor. amer. II. pag. 15.

In arenosis ad maris littora inter Omtendo et Omsamculo (V, c).

2. CAPENSIS SPRENG. syst. veg. II pag. 751.

Verbena Capensis Thunb. fl. cap. pag. 447.

In fruticetis ad fluvium Buffelrivier, alt. 500—1000 ped. (V, b).

3. ASPERIFOLIA RICH. catal. hort. med. paris. pag. 67 secundum Kunth, synops. II pag. 54.

Verbena globulifera Herit. stirp. tab. 12.

(V, a), locus specialis dubius.

VERBENA Linn.

1. BONARIENSIS LINN. spec. plant. pag. 28.

a) Rondebosch, in pratis humidis infra 400 ped. alt. (III, D, b);

b) prope Pampoenkraal, alt. 500 ped. (III, D, a).

2. OFFICINALIS LINN. l. c. pag. 29.

Ad ripas fluvii Basche, alt. 500 ped. (V, b).

PRIVA Juss.**I. FORSKAOLII.***Pr. dentata* Persi. synopsis. II pag. 139.*Verbena Forskaolii* Vahl. symb. III pag. 6.

a) In montosis graninosis prope Enon, alt. 1500 ped.
(V, a); *b*) ad fluvium prope Zandplaat, alt. 1500 ped., *c*) ad
 ripas fluvii Basche, alt. 500 ped. (*V, b*).

CHASCANUM.**Buechnerae** spp. Linn.

Calyx tubulosus quinquedentatus demum de latere ad longitudinem dehiscens. **Corollae** tubus elongatus cylindricus, limbus quinquelobo-bilabiatus. **Stamina** didynama inclusa. **Germen** quadriloculare quadriovulatum, oculis erectis. **Drupa** exsucca dimidiata abortu bilocularis disperma subquadrangula obtusa foveolis insculpta, alteri germinis parti squamaeformi tanquam receptaculo suo inferne de latere adhaerens. **Radicula** in fructu infera parva conoidea. **Cotyledones** subclavatae carnosae. **Albumen** nullum. — **Herbae** vix suffrutescentes, foliis oppositis dentatis vel incisissimis, floribus spicatis. — **Nomen**, jam apud Dioscoridem inter Xanthii synonyma occurrens, a verbo *χάλω* hio seu dehisco derivatum, calycis naturam satis exprimere videtur.

Buechnerae generis historiam, priusquam Chascani species recenseam, paucis exponam. In horto Cliffortiano 1737 Linnæus hoc genus condiderat, duasque species ei subscripserat, alteram Africanam a Burmanno acceptam, quam ipse postea ad *Erini* genus detulit, alteram Americanam (licet hoc loco Africam dixisset patriam) a Gronovio acceptam, quae itaque pro typo generis habenda est. In specierum plantarum editione priora 1753 hanc speciem *B. Americanam* nominavit, aliamque adjecit, *B. Asiaticam*. Tertiam speciem, *B. Africanam*, in dissertatione de plantis Africanis 1760 (amoen. acad. vol. VI) illis adjectam, et in specierum editione altera 1763 repetitam, postea in systematis naturalis editione XII 1767 iterum de genere exclusit, et *Rhinanthi Capensis* nomine descripsit. Sed eodem anno in mantissa plantarum prima duas alias *Buechnerae* species pro-

posuerat, *Canadensem* et *Capensem*, ita ut in ipso systemate jam laudato species quatuor enumeratae sint, *B. Americana*, *Canadensis*, *Capensis* et *Asiatica*. Quibus denique in mantissa plantarum altera 1771 duas alias, et *Aethiopicam* et *cernuam* addidit. Quoties autem Linnaeus generi huic infelici novam curam adhibuit, toties fere in novos errores incidit. Quando *B. Americanam* cum cl. Roberto Brown aliisque pro generis typo agnoscimus, species *Africanæ* non solum excludendae, sed inter varia genera, inter varios ordines distribuendae sunt. *Buechnera Capensis* L. et *Aethiopica* L. jam a Thunbergio ad *Manuleas* amandatae sunt. Restat sola *B. cernua*, quam Thunbergius, speciebus quibusdam novis adjectis, sub *Buechnerae* nomine generico descripsit. Huic autem, aequae ac reliquis speciebus Thunbergianis character novi nostri generis supra expositus respondet, unde sequitur, hoc genus non ad *Rhinantheas*, sed ad *Verbenaceas* pertinere. Quam confusionem quomodo Linnaeus filius adauxerit, specierum sequentium synonyma ostendent.

1. **CERNUUM**: foliis cuneatis subtruncatis, apice grosse 3—5-dentatis, spicis terminalibus elongatis.

Buechnera cernua Linn. mant. pag. 251. Thunb.? fl. cap. pag. 466 (excl. Houttuyn. synonym.)

Inter Breederivier et Gamtoosrivier, (IV, B, b).

Corolla hujus aequae ac reliquorum *cernua* nomen praebuit.

2. **CUNEIFOLIUM**: foliis flabellato-cuneatis, apice rotundatis 7—9-dentatis, spicis subterminalibus elongatis.

Buechnera cuneifolia Thunb. l. c.

B. cernua Houtt. syst. VIII pag. 129 tab. 58 fig. 2. (icon quoad habitum bona).

Phryma dehiscens Linn. fil. suppl. pag. 277.

In collibus rupestribus asperis a) prope Weltevreden, alt. 2500—3000 ped. (II, d); b) Zuurebergen, alt. 2000 ped., c) prope Glenfilling, alt. 1000 ped. (V, a); d) Port Natal, infra 400 ped. (V, c).

3. GARIPENSE: foliis ovatis grosse dentato-serratis, spicis terminalibus longissimis.

In collibus asperis ad fluvium Garip, prope Verleptpram, infra 500 ped. alt. (III, B.)

4. PUMILUM: subcaulis tomentosa, foliis ovatis inaequaliter inciso-lobatis, spicis brevissimis axillaribus.

In collibus asperis siccis inter Blaauwekrans et Wilgerboschfontein, alt. 2500—3000 ped. (II, d).

5. PINNATIFIDUM: caulibus ascendentibus, foliis pinnatifidis, laciniis rachique linearibus, spicis brevibus axillaribus.

Buechnera pinnatifida Thunb. l. c.

a) In planitie aspera sicca inter Leeuwenfontein et Slengerfontein, alt. 4500 ped. (I, b); b) prope Limoenfontein, alt. 3000—4000 ped. (I, d).

GENUS VERBENACEIS AFFINE.

AVICENNIA Linn.

1. TOMENTOSA LINN. gen. plant. ad. VI pag. 579.

In limosis salsis ad maris littora prope Port Natal, (V, c) una cum *Rhizophorae* speciebus duabus inferius dicendis.

STILBINEAE Kunth.

in Abhandl. der Berl. Acad. d. W. für 1832, pag. 201 sqq.

Calyx coriaceus quinquedivisus, laciniis aequilongis aestivatione induplicato-valvatis, incisuris anterioribus saepe profundioribus. Corolla hypogyna infundibuliformis ad faucem barbata, limbo quinquepartito, rarius quadripartito plus minusve irregulari, aestivatione aperta vel induplicato-valvata. Stamina fertilia quatuor distantia aequilonga, ad faucem inserta, corollae laciniis alterna; antherarum anticarum thecis parallelis vel rarius divaricatis et apice confluentibus. Quintum aut plane deficiens, aut reliquis duplo brevius, anthera imperfecta. Germen liberum biloculare biovulatum, ovulis erectis. Stylus terminalis filiformis rectus. Stigma simplex emarginatum. Pericarpium aut capsula bilocularis disperma apice loculicide dehiscens, aut utriculus monospermus. Semina erecta, testa tenui grandicellulari (nempe proportione ipsius seminis, eo Sinapeos albae vix majoris). Embryo in axi albuminis carnosus, eoque fere duplo brevior, erectus subcylindricus utrinque subclavatus. — Frutices, foliis subacicularibus subtus bisulcatis, sulcis sub apice confluentibus. Spicae terminales, floribus dense verticillato-spicatis tribracteatis, rachi persistente crassiuscula tereti acuta foveolata villosa. — Affinitatem certe proximam cum Globulariis ipsius Stilbes generis conditor, Bergius, observator mire oculatus et accuratus, primus et longe ante Jussiaeum pronunciaverat. Nunc vero, situ embryonis cognito, cum Verbenaceis affinitatem adhuc arctiorem esse, quis non intelligit? Solas Stilbinearum ab his differentias constituunt inflorescentia, calycis corollaeque aestivatio nunquam imbricata, praeque ceteris albumen seminis carnosum.

CAMPYLOSTACHYS Kunth.

Calyx quinquefidus (nec certe pentaphyllus), incisuris tribus anterioribus fere ad basin productis. Corolla quadrifida vel

quinquefida, laciniis acutis subcoriaceis trinerviis. Stamina quatuor. Capsula subglobosa tenuis bilocularis disperma, apice quadrifariam dehiscens.

1. CERNUA KUNTH.: spicis oblongis cernuis, corollis quadrifidis, antherarum thecis parallelis. — Kunth. l. c. pag. 206.

Stilbe cernua Thunb. fl. cap. pag. 146, Roem. et Schult. syst. veget. III pag. 90.

Locus natalis incertus.

2. ABBREVIATA: spicis brevissimis erectiusculis, corollis quinquefidis, antherarum thecis divaricatis apice confluentibus (ideoque pseudo-monotheccis.)

Draakensteensbergen, alt. 3000 ped. (III, A, e).

STILBE Berg.

Calyx aequalis citra medium quinquefidus, laciniis ad margines inflexos pubescenti-ciliatis. Corolla quinquefida, laciniis linearibus subtruncatis tenuissime membranaceis, duabus posterioribus paulo longius connatis. Stamina fertilia quatuor, quintum sterile. Utriculus tenuis subturbinatus quinquecostatus calyce duplo brevior et cum ipso deciduus.

1. PINASTRA LINN.: foliis subsenis linearibus, patulis, apice incurvatis. — Linn. mant. pag. 305.

St. vestita Berg. capens. pag. 30 tab. 4 fig. 6.

Selago pinastra Linn. spec. plant. pag. 836.

Tafeiberg et prope Witteboom, alt. 600 — 1000 ped. (III, D, b).

2. ALBIFLORA: foliis subsenis linearibus erectiusculis, apice subrecurvis, bracteis ovatis.

In montosis rupestribus subhumidis, a) ad Cataractam prope Tulbagh, alt. 1000—1500 ped. (III, A, a); b) Piquetberg, 1500—2000 ped. et c) inter Biedow et Honigvlei, alt. 2500—3000 ped. (III, A, d).

Quoad habitum et magnitudinem inter *St. pinastram* et *ericoidem* omnino intermedia, ita ut valde suspicer, esse *St. ericoidem* Lam. encycl. bot. et illustr. gener. tab. 856 fig. 2 (nec Linn.). A vera *St. ericoide* Linn. diversissima est toto

habitu, omnium partium magnitudine florumque colore albo, licet characteribus subinde aegre distinguatur. Folia plerumque sena, in ramulis ultimis nonnumquam quaterna, in ipso caule octona; semper linearia, sub spicis sensim breviora. Bractee foliis semper dissimiles, et inferioribus fere duplo breviores latioresque.

3. ERICOIDES LINN.: foliis quaternis ovatis subimbricatis, bracteis conformibus. — Linn. mant. pag. 305, Thunb. fl. cag. pag. 146.

St. virgata Lam. encycl. bot. suppl. V pag. 252, illustr. gen. tab. 856 fig. 3.

β . foliis ovato-sublinearibus patulis.

In planitie arenosa inter Tygerberg et Simonsberg, infra 200 ped. alt. (III, E, b); in collibus arenoso-calcareis inter Cap Agulhas et Potberg, infra 500 ped. alt. (IV, C, a).

Var. β . in planitie prope Wynberg, infra 200 ped. alt. (III, E, b).

Folia hujus semper quaterna, plerumque ovata imbricata, rarius (in var. β , quae tamen vix ut varietas separari potest) paulo longiora et angustiora et tunc minus appressa, quin etiam nonnumquam patula. Quibus perpensis dubitari nequit, hanc, nec antecedentem esse, quam Linnaeus l. c. descripsisset. Differt praeterea ab antecedente floribus rubentibus bracteisque foliis simillimis.

UTRICULARINAE H. et Link.

UTRICULARIA Linn.

1. **STELLARIS KOENIG.** apud Linn. fil. suppl. pag. 86.
Dietrich. spec. plant. I pag. 481.

In stagnis *a)* prope Uitenhaag, infra 100 ped. alt. (IV, C, c);

b) inter Dwomshireform et Glenfilling, alt. 600—1000 ped.

(V, a); *c)* Omgeni, infra 100 ped. alt. (V, c).

2. **CAPENSIS SPRENG.:** scapo stricto simplici 1—6-floro, floribus sessilibus, corollae labio superiori brevissimo, inferiori refracto latissimo emarginato, lateribus sinuato, calcar rectum transversum obtusum subobtegente, calycis laciniis minimis ovalibus. — Spreng. syst. veg. I pag. 52.

Antirrhinum aphyllum Thunb. fl. cap. pag. 481.

In humidis *a)* pratis Groot Draakensteen et Franschehoek, alt. 500 ped. (III, D, a); *b)* Paarlberg, 1000 ped. et

c) Tafelberg 3000 ped. alt. (III, A, e); *d)* Giftberg, alt. 1500 ped. (III, A, c); *e)* in montosis rupestribus prope Elleboogsfontein et *f)* Modderfontein, alt. 3500—4500 ped. (III, A, a);

g) in uliginosis inter Kopje et Algoabaai, infra 400 ped. alt. (IV, C, c).

Scapus $\frac{1}{2}$ —3-pollicaris capillaceus. Folia triplo breviora angustissima. Radicellae simplices, vesiculis paucis auctae. Flos magnitudine admodum varius, plerumque lilacinus, palatho luteo, nonnunquam triplo minor totusque luteus. Saepe tamen utriusque formae specimina intermixta occurrunt, ita ut ne tanquam varietates quidem distingui possint.

3. **LIVIDA:** scapo volubili superne dichotomo multifloro, pedunculis calycem ovatum obtusiusculum aequantibus, corollae labio superiori angusto obtuso, inferiori latissimo reflexo emarginato, calcar recto conico transverso labiis longiori.

In uliginosis inter gramina, prope Omsamcaba, alt. 500 ped. (V, b).

Scapus aphyllus spithamaeus subcapillaceus simplex vel dichotomus, in ramis primariis plerumque 5—10-florus. Corolla ex violaceo et luteo livide variegata, ei antecedentis duplo fere major, ei sequentis minor.

4. PREHENSILIS: scapo simplici strictiusculo vel volubili 3—5-floro, pedunculis calyce oblongo obtuso duplo longioribus. corollae labiis arrectis, superiori angusto obtuso, inferiori maximo subcordato emarginato, calcare dependente oblique conico labiis subaequali.

In rupestribus humidis ad Cataractam prope Grootfontein, 1500—2000 ped. alt. (IV, B, c); b) in uliginosis graminosis prope Omsamcaba, alt. 500 ped. (V, b).

Scapus aphyllus subspithamaeus setaeformis. Flores lutei, magnitudine eorum *U. vulgaris*.

LOBELIACEAE Jussieu.

(Auctore C. B. Presl.)

C. B. Presl prodr. monogr. lobel.

Tribus I. LOBELIEAE

MEZLERIA Presl l. c.

1. DEPRESSA PRESL l. c.

In graminosis montosis Witbergen, alt. 5000—6000 ped.
(I, a).

DOBROWSKYA Presl

l. c. pag. 8.

1. MASSONIANA PRESL l. c. pag. 9: perennis, caulibus plurimis diffusis angulatis ramosis retrorsum scabris, foliis subsessilibus oppositis sparsisque acutis margine cartilagineo nervoque subtus scabris, inferioribus ovato-lanceolatis medio utrinque unidentatis, superioribus linearibus, pedicellis elongatis flexuosis, calycis laciniis linearibus acutis patentibus tubo turbinato scabro dimidio longioribus, corolla extus pubescente.

Lobelia unidentata Ait. hort. kew. ed. 2 vol. 1 p. 356, Bot. mag. t. 1480.

Lob. scapigera Willd. suppl. II nec Brown.

Glenfilling in humidis, alt. 500—1000 ped. (V, a).

2. THUNBERGIANA PRESL l. c.

In graminosis a) in summis montosis Zuurebergen, alt. 2500—3000 ped. (V, a); b) prope Gekau, alt. 1000 ped. (V, b).

3. DREGEANA PRESL l. c.

In graminosis a) inter Gekau et Basche alt. 1000—2000 ped. (V, b); b) in montosis Zuurebergen, alt. 2000—3000 ped. (V, a).

4. ECKLONIANA PRESL l. c.: annua retrorsum scabra, caule erecto angulato, foliis margine cartilagineo nervoque subtus scabris, inferioribus ovato-lanceolatis acutis, in petiolum brevem

angustatis, medio utrinque uni-bidentatis, superioribus sessilibus linearibus, pedicellis folio duplo triplove longioribus, floribus pubescentibus, calycis laciniis linearibus acutis ciliato-scabris tubo breviter turbinato dimidio longioribus.

Lobelia scabra Spreng. n. entd. I p. 273.

L. aspera Spreng. l. c. III pag. 222.

L. Chamaepithys Spreng. syst. I p. 714 fide herb. Spr., et Spreng. in Zeyh. pl. cap. exs. n. 280.

Lobelia Eckl. pl. cap. un. tit. n. 16.

Ad rivulos *a)* inter Znuerebergen et Quaggasvlakte, alt. 400—800 ped., *b)* ad Bontjesrivier, alt. 1500 ped. (V, a).

5. LAEVICAULIS PRESL l. c. pag. 10.

Inter gramina altiora ad fluvium prope Port Natal, infra 100 ped. alt. (V, c).

6. ZEYHERIANA PRESL l. c.

a) Ad Zwartkopsrivier, *b)* in uliginosis prope Kopje, infra 500 ped. alt. (IV, C, c).

7. ANCEPS PRESL l. c.

In collibus arenosis prope Port Elizabeth, infra 100 ped. alt. (IV, C, c).

MONOPSIS Salisb.

Presl l. c.

1. CONSPICUA SALISB. varietas gracilis Presl: caule longiore graciliore, pedicellis elongatis.

Draakensteensbergen, alt. 2000—3000 ped. (III, A, e).

2. DEBILIS PRESL l. c. pag. 11.

In humidis *a)* inter frutices ad Bergrivier, *b)* ad Paarlberg, alt. 400—800 ped. (III, D, a); *c)* Straat, alt. 2500—3000 ped. (II, f).

3. CORYMBOSA PRESL l. c.

In rupestribus humidiusculis *a)* Dutoitskloof, *b)* Lowryspas, 2000—3000 ped. alt. (III, A, e); *c)* prope Gnadenthal, alt. 1000—2000 ped. (IV, A).

RAPUNTIUM Tourn.

Presl l. c.

S E C T. I.**1. LUTEUM PRESL l. c.**

In humidis *a)* ad Leeuwenberg prope urbem (III, D, b);
b) Dal Josaphat, (III, D, a); *c)* Winterhoek, (IV, B, b);
 ubique infra 1000 ped. alt.

2. EUPHRASIOIDES PRESL l. c. pag. 12.

Prope urbem, infra 500 ped. alt. (III, D, b).

3. VARIIFOLIUM PRESL l. c.

In collibus *a)* prope Nieuwekloof, alt. 800 ped. (IV, B, b);
b) prope Vierentwintigrivier, alt. 500 ped. (III, D, a); *c)* inter
 Pikenierskloof et Pretoriskloof alt. 1500 ped. (III, E, a).

S e c t. II, A.**4. GLABRIFOLIUM PRESL l. c.**

Var. β . *Mundtianum* Presl l. c. pag. 13.

a) Nieuweveld, alt. 3000 ped. (I, d); *b)* ad ripas fluvii
 Brakrivier inter Klein Bruintjeshoogte et Zuurebergen, alt.
 2500 ped. (V, a); *c)* inter Keiskamma et Basche (V, b).

Var. β . in planitie graminosa inter Sternbergspruit et
 Krairivier, alt. 4500 ped. (I, a).

5. CORDATUM PRESL: perenne pubescens, caule adscen-
 dente angulato basi ramoso, foliis longe petiolatis cordato-sub-
 rotundis obtusis sublobatisque, petiolis planis apice alatis, pedun-
 culo terminali elongato glabro paucifloro, floribus racemosis se-
 cundis, pedicellis bracteam setaceam aequantibus, calycis laci-
 niis linearibus acutis erectis tubo turbinato decemnervio sublun-
 gioribus, corollae limbo extus hirtulo.

In rupestribus montosis Witbergen prope Bambooshoek,
 alt. 6000 — 7000 ped. (I, a).

Species distinctissima. Pili caulis et petiolorum 2 — 2½
 poll. longorum horizontaliter patentem. Flores pollice breviores.
 Corollae limbus, uti videtur e sicco, intense azureus.

6. GENISTOIDES PRESL: fruticosum glabrum, caule erecto
 ramosissimo ramisque angulatis, foliis sessilibus anguste linea-
 ribus uninerviis ciliato-serrulatis apice obtusiusculo callosis fu-

gacibus, pedicellis racemosis secundis pubescentibus bractea lineari-setacea aequilongis, calycis laciniis linearibus ciliatis erecto-patentibus tubo turbinato hirsuto duplo longioribus, corolla extus hirsuta, capsula decemnervia glabra.

a) In montosis prope Gnadenthal alt. 2000—3000 ped. (IV, A); *b)* in rupestribus prope Kliprivier, haud procul a Keureboomsrivier, alt. 1500—2000 ped. (IV, B, c).

Affinie *R. tenuifolio* (in Ecklonii plantis cap. describendo) et *R. spartioidi*, ab utroque distinctissimum. Flores quinquelineales.

7. SPARTIOIDES PRESL in Eckl. pl. cap.: fruticosum, caule ramosissimo ramisque divaricatis teretibus glabrisque, foliis sessilibus linearibus acutiusculis basi ciliatis, floribus racemosis villosulis, pedicellis lanatis bractea foliis conformi aequilongis basi bibracteolatis, calycis laciniis lanceolatis acuminatis erectis tubo turbinato decemcostato in pedicellum angustato longioribus, corollae laciniis lobisque ovato-oblongis.

In montosis Zwartebergen, prope Vrolyk, alt. 3000—3500 ped. (II, e).

Sect. II, B.

8. ANCEPS PRESL l. c. pag. 14.

a) Ad ostia fluvii Omsamcaba, *b)* in uliginosis prope Port Natal, (V, c); *c)* in collibus arenosis prope Port Elizabeth, (IV, C, c) ubique infra 100 ped. alt.

9. FLACCIDUM PRESL l. c. pag. 13.

Zuurebergen, ad rivulum prope Doornnek, alt. 2000—2500 ped. (V, a).

10. ECKLONIANUM PRESL in Eckl. pl. cap.: annuum glaberrimum, caule debili decumbente ramisque angulatis filiformibus, foliis in petiolum angustatis acute dentatis, inferioribus spathulatis obtusis, mediis oblongo-lanceolatis acutis, floralibus lineari-lanceolatis apice tridentatis, pedicellis axillaribus capillaribus foliis brevioribus, calycis laciniis lanceolatis acuminatis tubo turbinato aequilongis, corollae laciniis lobisque lanceolatis acutis subaequalibus.

Draakensteensbergen, alt. 3000—4000 ped. (III, A, e).

Folia 4—6 lineas longa, 2—1 lineam lata. Flores parvi.
Antherae duae inferiores setuloso-barbatae.

11. BELLIDIFOLIUM PRESL l. c. pag. 15.

Var. *α*. *glabratum*.

β. *hirsutum*.

In graminosis inter Zandplaat et Komga, alt. 2000—2500 ped. (V, b)

Var. *β*. in graminosis *a*) inter Key et Gekau, *b*) prope Basche, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

12. CORYMBOSUM PRESL.

Lobelia corymbosa Grah. in bot. mag. t. 2693.

β. *longifolium* Presl: foliis longioribus.

Inter Ebenezar et Giftberg, (III, E, a). Var. *β*. in Caffria (V, b).

13. MICRODON PRESL l. c.

a) In montosis humidis Paarlberg, alt. 800—1500 ped. (III, A, e); *b*) in graminosis prope Kachu, alt. 1500 ped. (V, b).

14. FLEXUOSUM PRESL l. c. pag. 16.

Prope Port Natal, infra 100 ped. alt. (V, c).

15. TRIQUETRUM PRESL l. c.

a) Hexrivier, alt. 1000—1500 ped. (IV, B, b); *b*) in arenosis prope Piquetberg alt. 600 ped. (III, E, a); *c*) inter Houtbaai ei Wynberg, alt. 500 ped. (III, D, b).

16. PUBESCENS PRESL l. c. pag. 17.

a) In rupestribus umbrosis ad montem prope Gnadenthal alt. 1000—2000 ped. (IV, A); *b*) ad Cataractam prope Winterhoek, alt. 2000 ped. (III, A, e).

17. BICOLOR PRESL l. c.

Prope urbem (III, D, b).

18. SCABRIPES PRESL l. c.

In montosis Katberg, alt. 5000 ped. (I, a).

19. ERINUS MOENCH. Presl l. c.

In uliginosis prope Modderdrift in Hexrivier, alt. 1400 ped.

(IV, B, b).

20. ARABIDEUM PRESL l. c. pag. 18.

In humidis *a)* ad Bergrivier, alt. 400 ped. (III, D, a);
b) ad montem Paarlberg, alt. 1000 ped., *c)* Dutoitskloof, alt.
1500—2000 ped. (III, A, e).

S e c t. III, B.

21. PINIFOLIUM PRESL l. c. pag. 19.

In montosis *a)* Tafelberg et Duivelsberg, *b)* prope Stellenbosch, alt. 1000—2000 ped. (III, A, e); *c)* prope Gnaden-thal, alt. 1500—3000 ped. (IV, A).

22. BREYNII PRESL l. c.

In uliginosis montosis Katberg, alt. 4500—5000 ped. (I, a).

23. CAPILLIFOLIUM PRESL l. c.

a) In arenosis inter urbem et Stellenbosch, alt. 200 ped. (III, E, b); *b)* Klein Draakensteen, alt. 500 ped. (III, D, a);
c) in collibus argillosis Roodezand, alt. 600 ped. (IV, B, b);
d) Onderbokkeveld, alt. 2500 ped. (III, A, c).

24. LASIANTHUM PRESL: perenne, caule erecto ramisque teretibus, foliis sessilibus angustissime linearibus ciliatis apice callosis, racemis laxis paucifloris secundis, pedicellis hispida bracteam foliis conformem aequantibus medio bracteolatis, calycis hispidissimi pilis horizontalibus, laciniis setaceis erectis tubo hemisphaerico longioribus, corolla extus hirsuta.

In montosis Giftberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, c).

Affine *R. capillifolio*, sed praeter flores plus quam duplo majores caule, foliis, pedicellis, calyce pilisque diversum. Pili subinde furcati. Calycis tubus nervis decem crassis instructus. Bracteolae inaequales.

25. PEDUNCULARE PRESL l. c.

In montosis humidis *a)* prope Sparrbosch, *b)* prope Hoogekraalsrivier et in Ataquaskloof, *c)* prope Kromrivier, *d)* Zitzi-kammashoogte, *e)* Vanstaadesberg, omnes inter 1000—2500 ped. (IV, A) leg.

26. TOMENTOSUM PRESL l. c.

a) In collibus prope Zwartkopsrivier, *b)* in rupestribus prope Vanstaadesberg, infra 1000 ped. alt. (IV, C, c); *c)* Znurebergen, *d)* prope Glenfilling in graminosis, alt. 1000—3000 ped. (V, a).

27. CAERULEUM PRESL l. c. pag. 20.

- β . *glabrescens*: foliis fere depilatis vel glabris.
 γ . *latidens* Presl: foliis paullo latioribus, dentibus latioribus acutiusculis, bracteolis calycis approximatis.

Var. γ . in asperis ad montem prope Gnadenthal, alt. 1500—3000 ped. (IV, a).

Var. β . ad montem prope Hoogekraalsrivier, alt. 1000 ped. (IV, A).

28. PAUCIDENTATUM PRESL l. c.

Ad fluvium minorem inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 1000—1500 ped. (V, b).

29. CERATOPHYLLUM PRESL in Eckl. pl. cap.: fruticosum hirsutum, caule ascendente ramisque teretibus, foliis subsessilibus lineari-lanceolatis obtusis remote pinnatifido-dentatis, dentibus linearibus callosis, pedunculis uni-trifloris corollaque glabris, bracteis pedicello bracteolato brevioribus bracteolisque linearibus ciliatis, calycis laciniis lineari-lanceolatis obtusis ciliatis tubo sericeo-pubescente duplo longioribus, capsulae subglobosae valvis calycis limbo aequilongis.

De loco non satis constat.

Affine *R. tomentosum*, caeruleo, *Chamaepity* et *paucidentato*, ab omnibus diversum.

$\beta?$ *glabratum* Presl: foliis glabris aut pilis raris adpersis dentatis, dentibus parvis. Specimen insufficiens.

In arenosis inter Bergvlei et Zwartbastkraal, alt. 800 ped. (III, E, a).

30. CORONOPIFOLIUM PRESL l. c.

a) Ad radices montis Tafelberg, alt. 500 ped. (III, D, b);

b) Dutoitskloof, alt. 2000—3000 ped. (III, A, e).

31. MACULARE PRESL l. c.

β . *procerum* Presl l. c. pag. 21.

In graminosis inter Omsamculo et Omcomas, infra 100 ped. alt. (V, c).

Var. β . inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 1500 ped. (V, b).

32. CHAMAEDRIFOLIUM PRESL l. c.

In rupestribus inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 1500—2000 ped. (V, b).

33. PTEROPODON PRESL l. c.

In rupestribus inter Cataractam magnam et Omsamcaba, alt. 1000—2000 ped. (V, b).

34. LINARIOIDES PRESL l. c. pag. 22.

In graminosis *a*) inter Key et Gekau alt. 1000—2000 ped., *b*) prope Omtata, infra 1000 ped. alt. (V, b).

35. DREGEANUM PRESL l. c.

In vallibus (et depressis humidis *a*) Nieuweveld alt. 3000 ped. (I, d); *b*) prope Sternbergspruit et Gaatje, alt. 5000 ped. (I, a).

SOLENOPSIS Presl.

l. c. pag. 32.

I. DREGEANA PRESL: annua, caule solitario erecto subsimplici, foliis sparsis acutis argute inaequaliter dentatis, infimis obovatis in petiolum brevem angustatis, superioribus obovato-lanceolatis sessilibus, racemo laxo, pedicellis filiformibus bractea lineari dentata duplo triplove longioribus, calycis laciniis lineari-lanceolatis tubo turbinato sublongioribus, corollae labii lobis ovalibus pendulis.

In humidis montosis Giftberg, alt. 1500—2000 ped. (III, A, c).

Herbula facie Arabidis vernaе minoris, habitu a reliquis generis speciebus paululum aliena. Folia infima approximata, superiora distantia. Corollae caeruleae tubus laciniis calycis duplo longior. Antherae duae inferiores setulis aliquot barbatulae. Capsula immatura anguste turbinata, in pedicellum angustata.

ENCHYSIA Presl

l. c. pag. 40.

I. REPENS PRESL l. c.

a) Ad ripas fluvii Bergrivier, *b*) prope Pampoenkraal, alt. 400—800 ped. (III, D, a); in montosis ad rivulum Du-toitskloof, alt. 1500—2000 ped. (III, A, e).

Tribus II. **CLINTONIEAE.****GRAMMATOTHECA Presl**

i. c. pag. 43.

1. ECKLONIANA PRESL I. c. pag. 44.

In arenosis humidis in insula fluvii Bergrivier prope Paarl,
alt. 400 ped. (III, D, a).

2. MEYERIANA PRESL I. c.

Dutoitskloof ad ripam fluvii prope von Schoenfeld, alt.
800—1200 ped. (III, A, e).

3. DREGEANA PRESL I. c.

a) In stagnis ad Bergrivier, alt. 400 ped. (III, D, a);

b) ad montem Paarlberg, ad rivulos et in humidis, alt 1000
ped. (III, A, e).

GOODENIACEAE R. Brown.

(Auctore C. B. Presl.)

Tribus I. **SCAEVOLEAE**. Fructus drupaceus.

SCAEVOLA Linn.

I. **THUNBERGII** ECKL. et ZEYH. pl. Cap. exs.: glabra, foliis obovatis obtusis integerrimis approximatis carnosis, axillis barbatulis, cymis pedunculatis folium subaequantibus, pedunculis pedicellisque angulatis, bracteis linearibus calycem subdenticulatum aequantibus, corollae tubo intus villosissimo calycem duplo superante, stylo inferne villoso, drupa globosa laevi biloculari.

Sc. Lobelia Thunb. fl. Cap. I p. 186 (excl. synonym.), Drege catal. pl. exsicc. 1837 pag. 9.

Inter Algoabaai et Port Natal ad maris littora in collibus arenosis (IV, C, c et V, c).

Affinis *S. Senegalensi* Presl rel. Haenk. 2. p. 59; differt consistentia et numero foliorum, axillis barbatulis, bracteis, tubi corollae longitudine et villositate, laciniis corollae late marginatis, styli villositate, drupae figura. In *S. Senegalensi* tubus corollae calyci aequilongus.

Trib. II. **GOODENIEAE**. Fructus capsularis.

CYPHIA Berg *).

§. I. *Eucyphia*. Corolla bilabiata, basi superne gibba. Petala libera. A. Caulis erectus (non volubilis).

I. **PHYTEUMA** WILLD.

Cyphia nr. 6269 Drege catal. pl. exl. pag. 9.

*) Juxta observationes in 23 *Cyphiae* speciebus, quarum unicam ad manus non habeo et inde de subgenere incertus hareo, institutas, genus in tria subgenera dispesci potest, scilicet in *Eucyphiam*,

In collibus argillosis inter frutices *a)* ad radices montis Leeuwenberg prope urbem, infra 500 ped. alt. (III, D, b); *b)* prope Paarl 400—800 ped. alt. (III, D, a); *c)* Klipfontein, infra 400 ped. alt. (III, E, b); *d)* Roodezand, alt. 500 ped. (IV, B, b); *e)* Giftberg, alt. 1000—1500 ped. (III, A, c).

Calycis lacinae semper serratae, ante anthesim erectae, sub anthesi patentes vel patentissimae vel divergentes, finiente anthesi vel post anthesim reflexae, hac de causa *C. serrata* Spr. syst. I p. 809 nil nisi periodus aetatis *C. Phyteumae* esse videtur, cum anthesi finiente vel praeterlapsa calycis lacinae reflectantur, quae in *C. Phyteuma* genuina quoque serratae sunt.

Isomeriam et *Cyphiellam*. Postremum subgenus a genere remove non audeo, cum capsula adhucdum ignota est et habitus *sejunctionem* non suadet. Tres species *Cyphiae* nondum vidi, nempe *C. incisam* Willd., *C. pinnatam* Lam. et *C. Botrys* Willd.

Subgenus I. EUCYPHIA. Corolla bilabiata, basi gibba. Petala libera.

1. Caulis erectus.

Cyphia Phyteuma Willd. (*C. serrata* Spr.) *C. Cardamines* Willd., *C. Cinarioides* Presl in Eckl. herb.

2. Caulis volubilis.

Cyphia salicifolia Presl in Eckl. herb., *C. Dregeana*, *C. dentariaefolia*, *C. tomentosa*, *C. polydactyla*, *C. digitata* Willd.

Subgenus II. ISOMERIA. Corolla bilabiata, basi aequalis. Petala libera.

1. Caulis erectus.

Cyphia persicifolia, *C. bulbosa* Berg.

2. Caulis volubilis.

Cyphia crenata Presl (*Lobelia crenata* Thunb.), *C. sylvatica* Eckl., *C. undulata* Eckl., *C. atriplicifolia* Presl in Eckl. herb., *C. heterophylla* Presl in Eckl. herb., *C. angustiloba* Presl in Eckl. herb., *C. longipetala* Presl in Eckl. herb., *C. volubilis* Willd., *C. latipetala* Presl in Eckl. herb.

Subgenus III. CYPHELIA. Corolla hypocraterimorpha, tubo gamopetalo cylindrico incurvo demum hinc inde irregulariter fisso, limbo patente aequali. Caulis volubilis.

Cyphia Eckloniana Presl in Eckl. herb., *C. Zeyheriana* Presl in Eckl. herb.

2. **LINARIOIDES** PRESL in Eckl. herb.; caule erecto tereti ramoso, ramis divergentibus patentibusve, foliis sessilibus linearibus angustis remote denticulatis integerrimisque, racemis flexuosis, pedicellis bractea longioribus apice bracteolatis, calycis laciniis triangularibus acutis erectis tubo aequilongis.

$\beta?$ *micrantha*: foliis caulinis mediis usque ad basin tripartitis, laciniis foliisque reliquis anguste linearibus integerrimis, racemo volubili, floribus minoribus.

Cyphia nr. 6272 Drege l. c.

In graminosis inter frutices prope Caledon, alt. 500 ped. (IV, B, b).

Var. β . in graminosis prope Garip alt. 4200 ped. (I, a).

Caulis varietatis α 6—12-pollicaris, saepe flexuosus. Folia semipollicem vix aequantia, semilineam lata, obtusa, denticulata aut integerrima. Racemi multiflori. Pedicelli sesquilineales, bractea lanceolata acuta patente longiores. Flores fere 5 lineas longi. — Varietas β transitum in species caule volubili donatas constituit.

Specimina varia in herbario Eckloniano et Dregeano paululum discrepantia; an ideo haec species in duas tresve subdividenda?

§. I, B. **Caulis volubilis.**

3. **DREGEANA**: caule angulato, foliis petiolatis lanceolatis acutiusculis serrulatis serratisve basi acutis, umbellis axillaribus subtrifloris subsessilibus, calycis laciniis linearibus acutis erectis tubo quadruplo longioribus, corollae tubo calycis laciniis brevioris.

In arenosis prope Saldanhabai, infra 100 ped. alt. (III, E, b).

